MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80274-8

AUTHOR:

BRUNN, HEINRICH VON

TITLE:

HENRICI BRVNNII DE AVCTORVM INDICIBVS...

PLACE:

BONNAE

DATE:

[1856]

Master Negative #

91-80274-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Brunn, Heinrich von, 1822-1894.
...Henrici Brvnnii De avctorvm indicibvs Plinialis dispvtatio isagogica. Bonnae, Litteris Caroli Georgii, [1856]
60 p. 25 cm.

At head of title: Natalicia avgvstissimi regis Friderici Gvilelmi IIII. Vniversitatis Fridericiae Gvilelmiae Rhenanae conservatoris clementissimi ab eadem vniversitate die XV. mensis octobris anni CIƆIƆCCCLVI... pvblice concelebranda ex officio indicit Fridericvs ( ) Ritschl...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10.1.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)

150mm

6″

NATALICIA

AVGVSTISSIMI REGIS

FRIDERICI GVILELMI IIII.

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE
RHENANAE

CONSERVATORIS CLEMENTISSIMI

AB EADEM VNIVERSITATE

DIE XV. MENSIS OCTOBRIS ANNI CIƆIƆCCCLVI.

IN AVLA MAGNA HORA XI. PVBLICE CONCELEBRANDA

EX OFFICIO INDICIT

FRIDERICVS RITSCHL
ELOQVENTIAE PROFESSOR P. O.

Brunn.

PRAEMISSA EST HENRICI BRVNNII DE AVCTORVM INDICIBVS PLINIANIS
DISPVTATIO ISAGOGICA.

BONNAE
LITTERIS CAROLI GEORGII.

1856

Postquam viri carissimi, qui propensam nobis voluntatem et officiosissimam operam praestitit, docta disputatione mori academico antiquitus sancito satis factum est, restat ut caussa eius prolusionis rite explicetur. Indicenda enim sunt sollemnia, quibus dies universae patriae imprimis festus bonorumque omnium animis carus, REGIS AVGVSTISSIMI CLEMENTISSIMI FRIDERICI GVILELMI IIII. natalis, communi laetitia piaque veneratione ab hac litterarum universitate concelebrabitur. Huius igitur gratulationis publicae qui interpres existet VIR INLVSTRISSIMVS IVLIVS PLVECKER RECTOR VNIVERSITATIS MAGNIFICVS, eius ut orationi ceterisque sollemnibus cum annui magistratus academici instauratione coniunctis prompto lubentique animo intersint, IPSIVS INLVSTRISQVE SENATI nomine professores amplissimos, doctores clarissimos, commilitones ornatissimos, magistratus cum regios tum urbicos spectatissimos et quicunque rebus nostris artiumque et litterarum studiis bene volunt, qua par est observantia ex officio rogamus invitamus. Q. D. B. V.

CAPUT I.

Quo ordine indices auctorum, quos libro primo Plinius ipsi naturali historiae praemisit, dispositi sint, nemo quantum scio nostra aetate disquisivit praeter Odofredum Muellerum, et ne is quidem ea, qua par erat diligentia, sed in transcursu tantum et ita rem tangens magis quam pertractans, ut desperandum potius de successu, quam sperandus aliquis talis investigationis fructus videretur. Sunt enim in programmate universitatis Gottingensis saecularia celebrante p. 38 haec eius verba: „Plinius praeter eos scriptores, quos singulos adhibuit, collectionibus quibusdam sive pandectis usus est, quales nunc extant geoponicorum, mechanicorum, physiognomicorum scriptorum; neque difficile est, hos a ceterorum scriptorum recensu in I de N. H. libro dignoscere. Quos enim singulos scriptores enumerat, hos nulla primarum litterarum ratione habita vel secundum dignitatem, vel temporum successum, vel locorum inde excerptorum ordinem secutus disponit; collectos autem illos scriptores ex ordine litterarum, quae eorum nominum primae sunt, recenset.“ (Quae sequuntur, ad solos geoponicos spectant, de quibus postea.) In quibus cum non quidem verum, sed veri aliquam partem, quod ad collectiones istas attinet, Muellerum vidisse fatendum sit, de singulis scriptoribus a vero prorsus aberravit. Nam ut totius disputationis meae summam iam in ipso initio proponam: Plinium eodem ordine, quo in componendis libris usus est, auctores etiam in indices rettulisse contendo. Quod simplicissimum inventum tamen non tam simplex est, quin ampliore demonstratione egeat. Variis enim modis aut obscuratus est ordo aut perturbatus, ut interdum vix aut iam omnino non agnoscatur. Examinandi igitur sunt indices eo modo, ut oculis subiciantur addita indicatione locorum, quibus singuli scriptores laudantur. Sed ut melius, quae de singulis adnotanda habemus, intelligantur, iam quaenam perturbati aut neglecti ordinis causae esse possint, praemonendum videtur.

Et primum quidem manifestum est, si nulla varietate iidem diversorum librorum indices repetiti reperiuntur, ut XII et XIII, XX et sqq., certum dispositionis ordinem nisi in priore exspectandum non esse. Quod vero de totis indicibus valet, idem etiam in certas aliquas partes saepius repetitas cadit. Spectant autem interdum tales indicum

partes ad eiusdem generis scriptores, quos ubi in corpus quoddam redactos invenit eo ipso quo invenit ordine in indices rettulit, nulla particularis, cui illos adhibuit, usus ratione habita.

Tenendum porro Plinium, ubi primum auctorem aliquem exscripsit, non semper id addito nomine fecisse; idque in iis maxime evenit, quos primarios secutus est. Ita, ut exemplo utar, si Varro in indicis initio ponitur, nomen vero in medio demum libro apparet, non continuo ibi primum eum attigisse Plinius credendus est. At contra sunt quidam scriptores, quos cum in posterioribus libri partibus eum consuluisse cum indicis ordo tum ipsius libri natura doceat, tamen in ipso initio laudat; quod ita explicandum, ut, cum iam conscripto libri initio in illis iuvenisset, quae notatu digna essent, postea textui inseruisse credatur, indicis iam nulla habita ratione.

Est autem universum Plinii opus tale, quale uno impetu absolvi nec poterat nec re vera absolutum est; unde iam ab aliis observata sunt plurima secundae recensionis vel retractationis vestigia. Qua in re ita versatus est Plinius, ut non solum emendaret aut immutaret nonnulla, sed etiam tota capita transponeret, vel adeo prorsus novo modo libros divideret (cf. V, VI. XIV, XV). Praeterea vero ex auctoribus antea neglectis etiam nova multa addidit, quae in excerpendo, commodius intexendi tempus expectans, saepe ad marginem adnotasse videtur, unde interdum post ipsius mortem ab imperita manu falso loco in continuitatem verborum inserta sunt. Iam si in fine indicum non semel scriptorum nomina posita invenimus, qui reliqui indicis ordinem turbant, dubitari non potest, quin eos ipsos eodem modo indici non suo loco inseruerit, sed in fine adscripserit. Quae ratio eorum potissimum scriptorum fuisse credenda est, qui saepius sub indicum finem redeunt, ut Anaxilai, Mamilii Surae, aliorum.

Quae posita magis quam demonstrata, tamen ita mihi videntur esse comparata, ut veri quandam speciem vel per se iis inesse nemo sit negaturus. Quare quid inde effici possit, iam in singulis libris experiendum: quorum quidem primi ut omnis investigationis ratio melius intelligatur, paullo accuratius sunt tractandi. Nec enim fastidiendum paullo aridius genus commentandi, si modo sperare licet fore ut non contemnendi fructus inde nascantur.

In indicum vero tabulis disponendis ita versatus sum, ut e. g. hoc modo:

M. Varrone . . . | 9 | 18

indicem, inde a § 9 in usum esse vocatum Varronem;

M. Varrone . . . | ? | 18

latere etiam ante § 18 in textu Pliniano quaedam, quae ex Varrone deprompta sint;

M. Varrone . . . 9 | 18 |

quae § 9 leguntur, tum demum addita esse, cum § 18 Plinius etiam in superiore libri parte Varronem non esse negligendum cognovisset;

M. Varrone . . . | — | 18

in prima operis recensione nullum Varronis usum fuisse.

Liber II.

In indice cum medium inter Cornelium Nepotem et Caelium Antipatrum obtineat locum Sebosus, non medio inter utrumque loco in usum vocatum esse posse, docent ipsius § 169 verba. Sed agitur hoc ipso loco de mari meridiano quod est intra Gades et Arabicum sinum, cuius „maiorem quidem partem et orientis victoriae magni Alexandri lustravisse usque in Arabicum sinum“ proxime ante § 168 dicuntur. De quibus lustrationibus cum egisse Sebosum postea demonstraturi simus, Plinius quin tres illos auctores una consuluerit, duos nominatim afferre contentus, dubium non erit. Similis ratio inter Graecos scriptores est Petosiris et qui proxime eum sequuntur. Agitur enim § 83 — 88 de „intervallis siderum a terra“, quae „multi indagare temptarunt“, quorum postea nonnulli, sed neglecto indicis ordine, nominantur. — Extra ordinem § 121 laudatur Fabianus; sed ea ipsa verba: „Et austrum in Aegyptum penetrare negat Fabianus“ inserta a Plinio in textum libri iam constitutum videntur. Tantum enim abest, ut nexu orationis ea postulentur, ut iis omissis aptius quae antecedunt et quae sequuntur conectantur. — Post § 231, quae e scriptis de Etrusca disciplina derivanda sint, ego quidem non invenio. At contra, cum § 137 et 140 varia fulminum portenta referantur, medio inter ea loco § 138 et 139, similiterque § 143 et 144 inter 142 et 145 de Etrusca fulminum disciplina notitiam insertam reperimus. Quare postea textui inserta credenda est, auctoresque indici iam constituto adscripti.

Graecorum primarius auctor videtur Hipparchus; quare et ante § 54 consultum esse posse nemo negabit; e Platone vero fortasse desumpta est κόσμου definitio § 8. — Videntur porro ordinem turbare, quae § 31 et 191 de Anaximandro, § 37 de Pythagora leguntur; sed non turbant, cum nil referatur ex eorum scriptis, sed sermo tantum de iis sit, ut de Anaximene § 187, de Pherecyde § 191, quorum nomina in indice prorsus omittuntur. — Eorum, quae § 14 e Democrito, § 91 et 150 ex Aristotele referuntur, eadem est ratio quam § 121 de Fabiano cognovimus. Theopompus denique in operis retractatione adiectus videtur.

Iam igitur haec indicis tabula efficitur:

EX AVCTORIBVS

M. Varrone . . .	9	
Sulpicio Gallo . . .	53.	83
Tito Caesare imperatore	89	
Q. Tuberone		
Tullio Tirone		
L. Pisone	140	
T. Livio		
Cornelio Nepote . .	169	
Seboso		
Caelio Antipatro . .	169	
Fabiano 121	223	
Antiate	?	241
Muciano	243	
Caecina qui de Etrusca disciplina	—	
Tarquitio qui item .	—	
Iulio Aquila qui item .	—	
Sergio	—	

EXTERNIS

Platone . . .	(8?)	205
Hipparcho . .	?	54. 57. 95. 188. 247
Timaeo . . .	38	

Sosigene	39	
Petosiri	88	
Nechepso . . .	88	
Pythagoricis . (37)	83.	84. (191).
Posidonio . . .	85	
Anaximandro . (31)	?	(191).
Epigene gnomonico		
Euclide		
Coerano philosopho		
Eudoxo	130	
Democrito		
Critodemo		
Thrasyllo		
Serapione		
Dicaearcho . . .	162	
Archimede		
Onesicrito . . .	183	
Eratosthene . . .	185	247
Pythea	187	217
Herodoto	201	
Aristotele . 91. 150	220	
Ctesia	236	
Artemidoro Ephesio	242	246
Isidoro Characeno .	242	246
Theopompo . . .	238	

Laudatur praeterea § 39 una cum Sosigene et Cidenas, qui utrum Plinii an codicum errore in indice omittatur nescio. — Ceterum, ut quinam harum observationum fructus esse possit, demonstretur, appono verba § 137: „In Catilinariis prodigiis Pompeiano ex municipio M. Herennius decurio sereno die fulmine ictus est", quae secundum indicis ordinem quin ex Q. Tuberone vel Tullio Tirone desumpta sint iam non dubitabimus.

Liber III.

Offensioni videntur esse Theophrastus et Theopompus § 57, Mucianus § 59 laudati. Sed accuratius examinemus Plinii verba. Enumerantur oppida inde ab Ostia

usque ad Circeios: „Circeii quondam insula inmenso quidem mari circumdata (ut creditur Homero) et nunc planitie. Mirum est quod hac de re tradere hominum notitiae possumus. Theophrastus e. q. s. Aliud miraculum: a Circeiis palus Pomptina est, quem locum XXIV urbium fuisse Mucianus ter consul prodidit; dein flumen Ufens, supra quod Tarracina oppidum"; sequuntur alia orae maritimae oppida. In quibus verba: „mirum est quod hac de re..." et „aliud miraculum" nemo negabit tam abrupte posita esse, ut manum scriptoris opus retractantis facile prodant; quae si loco movemus, iam optime coniunguntur: „Circeii . . nunc planitie; dein flumen Ufens." Idem si etiam de L. Pisone, Gelliano, Valeriano valere contendo, iam minus audacter id videbitur dictum ratione habita totius indicis naturae, quem in duas partes dividere licet: alteram scriptorum, quibus in descriptione geographica proprie dicta usus est Plinius, quae pertinet fere usque ad Sebosum, alteram auctorum, e quibus ad amplificandum vel exornandum librum quaedam vel geographica vel historica delibavit. Quod idem in Graecis auctoribus fecit: laudantur enim § 75 Polybius et Eratosthenes, § 85 Timaeus et Myrsilus, § 139 et 152 Callimachus, (§ 57 Homerus et Clitarchus). Sed horum etiam in libro tertio aliquem usum esse cum in quarto demum libro conscribendo cognovisset, excerpsit quidem ex iis nonnulla, sed nomina indici adscribere nescio qua de causa omisit. Quare ita disponenda indicis tabula:

EX AVCTORIBVS

Turranio Gracile	3	
Cornelio Nepote	4	132
T. Livio . . .	4	125. 128. 132
Catone censorio	?	53. 98. 114. 116. 124. 125. 130. 133. 134
M. Agrippa . .	8	16. 17. 37. 86. 96. 150
M. Varrone . .	8	45. 95. 101. 109. 143
divo Augusto .	17	46
Varrone Atacino		
Antiate . . .	70	
Hygino		
L. Vetere		
Pomponio Mela		
Curione patre		
Caelio	132	
Arruntio		
Seboso		

Licinio Muciano	59
Fabricio Tusco	
L. Ateio	
[Ateio] Capitone	
Verrio Flacco	
L. Pisone . .	131
Gelliano . . .	108
Valeriano . .	108

EXTERNIS

Artemidoro		
Alexandro polyhistore	?	124
Thucydide	86	
Theophrasto . . 57		
Isidoro		

Theopompo . . . 57	98		Diodoro Syracusano	
Metrodoro Scepsio .	122		Nymphodoro	
Callicrate			Calliphane	
Xenophonte Lampsaceno			Timagene	132

Pro *Turranio* Silligius et hic et § 3 *Turannio* scribit, at IX ind. et § 11; XVIII ind. et 75 *Turranio;* quam scripturam a Iano ubique receptam unice veram esse docet constans plurimarum inscriptionum auctoritas, de quibus ad Muratorianum indicem remittere lectorem satis habemus.

Liber IV.

Romanorum habemus indicem breviatum libri tertii, item dividendum in duas partes, in quarum altera cum duos Ateios accurate distinctos inveniamus, iam libro III Ritschelium (parerg. Plaut. I, 374) e L. Ateio Capitone item duos recte effecisse apparet. — Graecorum tres partes distinguendas esse primo tabulae adspectu patet, quarum prima usque ad Thucydidem nullo, secunda usque ad Isidorum optimo ordine procedit, tertiae in textu nulla fit mentio. Quod quomodo explicandum sit, docet ipsius libri dispositio. Fit enim eo libro Graeciae descriptio § 1—51, ad quam referendi sunt auctores in prima indicis parte nominati, quorum nomina in textu ob eam fortasse causam omisit, quod quae ibi tractabantur „ita multis prodita“ erant, „ut in fastidium sint adducta“ (I, praef. 14). Sequuntur insulae diversique marium sinus, in quorum descriptione auctoribus iam nominatis uti pergit quidem, sed additis novis, qui iusto ordine laudantur. Scriptorum denique in fine positorum hoc ipso libro nullum usum fuisse, e proximo libro intelligemus.

EX AVCTORIBVS

Catone Censorio		
M. Varrone . .	?	62. 66. 77. 115
M. Agrippa . .	45.	60. 77. 78. 81. 83. 91. 98. 99. 102. 105. 119
divo Augusto		
Varrone Atacino		
Cornelio Nepote	77	
Hygino		

L. Vetere		
Mela Pomponio		
Licinio Muciano	66. 67. 77	
Fabricio Tusco		
Ateio Capitone		
Ateio philologo		

EXTERNIS

Polybio . . .	77. 119. 121. 122

Hecataeo . . .	94
Hellanico	
Damaste	
Eudoxo	
Dicaearcho	
Timosthene	
Eratosthene	
Ephoro . . .	64. 120
Cratete grammatico	
Serapione Antiochense	
Callimacho . .	52. 65. 69. 70. 73
Artemidoro . .	771. 21
Apollodoro	
Agathocle	
Eumacho	
Timaeo Siculo .	94. 104. 120
Myrsilo . . .	65
Alexandro polyhistore	
Thucydide	
Dosiade . . .	58

Anaximandro .	58	
Philistide Mallote	58	120
Dionysio . . .	64	
Aristide . . .	64	70
Callidemo . .	64	67
Menaechmo . .	64	
Aglaosthene . .	66	
Anticlide . . .	67	
Heraclide . . .	70	
Philemone . .	94	
Xenophonte . .	94	
Pythea	94	102
Isidoro . . 9	102	121
Philonide		
Xenagora		
Astynomo		
Staphylo		
Aristocrito		
Metrodoro		
Cleobulo		
Posidonio		

Liber V.

Medio huic indici inserti sunt, qui in fine antecedentis positi erant, laudanturque iusto ordine. Quae vero laudantur, spectant ad Asiae insulas, de quibus agitur § 128—140. Quod ita explicandum, ut Plinium, quae initio ad librum antecedentem referenda viderentur (h. e. ad Graecarum insularum descriptionem), postea huic inseruisse credamus. Qui antecedunt sequunturque, sunt iidem fere eodemque ordine, qui etiam in antecedentis indicis prima parte. Quos cum in Graecia describenda secutus sit Plinius, eosdem de Asia quoque consuluisse sat probabiliter videbitur. Sequuntur nonnulli, quorum in textu nulla fere mentio. Postremo vero novus inde ab Hannone incipit ordo, sed ita, ut ad initium potius libri quam ad finem spectet. — Quae totius indicis perturbatio unde nata esse possit si quaerimus, nulla alia causa

in promptu est, nisi ut ordo, quo ab initio liber conscriptus erat, a Plinio postea prorsus esse immutatus existimetur. Et videtur quidem antea ab insulis ad Asiam minorem se convertisse, Asiaeque subiunxisse Syriam, Arabiam, Aegyptum, denique Africam. Nunc Africa in initio posita (§ 1—40) et quae capita prima erant novissima extant, cuius mutatae dispositionis iam in indice nulla habita est ratio. — Romani auctores iidem fere sunt, qui lib. III et IV eodemque fere ordine positi.

EX AVCTORIBVS

Agrippa . . .	9. 40.65.102	
Suetonio Paulino	14	
M. Varrone		
Varrone Atacino		
Cornelio Nepote	4	
Hygino		
L. Vetere		
Mela		
Domitio Corbulone	83	
Licinio Muciano 50	83. 128. 132	
Claudio Caesare	63	
Arruntio		
Livio filio		
Seboso		
actis triumphorum		

EXTERNIS

Iuba rege . .	16	51. 55
Hecataeo		
Hellanico		
Damaste		
Dicaearcho		
Baetone		
Timosthene . 47	129	
Philonide . . .	129	
Xenagora . . .	129	
Astynomo . .	129	
Staphylo . . .	134	
Aristotele	135	
Aristocrito	135	
Dionysio	134	
Ephoro	136	
Eratosthene	39	40.41.47.127.132
Hipparcho		
Panaetio		
Serapione Antiocheno		
Callimacho	28	
Agathocle		
Polybio	9.	26. 40
Timaeo mathematico	55.	56
Herodoto	57.	68
Myrsilo		
Alexandro polyhistore		
Metrodoro	136	
Posidonio, qui *περίπλουν* aut *περιήγησιν*		
Sotade		
Periandro		
Aristarcho Sicyonio		
Eudoxo		
Antigene		
Callicrate		
Xenophonte Lampsaceno		
Diodoro Syracusano		
Hannone		
Himilcone		

Nymphodoro		
Calliphane		
Artemidoro	39	47. 59. 129
Megasthene		
Isidoro	39	47. 127. 129. 140. 150
Cleobulo	?	136
Aristocreonte . . .	59	

Timaeus *mathematicus* dicitur etiam § 55, item l. XVI ind. et 82; *Siculus* vel *historicus* l. IV ind. et § 104; VI; XXXVII; eiusdemque sunt scriptoris, quae laudantur l. III, 85; Timaeum *historicum, qui de medicina metallica scripsit,* habemus l. XXXIII et XXXIV; eundemque et l. XXXV post Apionem grammaticum esse restituendum huius libri index cum indice antecedentis collatus docet, facilisque coniectura est, librariorum oculos a *grammatico* ad *historico* vocabulum aberrasse. Praeterea Timaeus nullo addito epitheto libro II laudatur. Unde tres Timaeos in auctorum indice Harduinus efficere studet. Sed ex horum numero primo loco resecandus est, qui de medicina metallica scripsit; historicus enim cum appelletur, de alio nullo nisi de Siculo cogitare licet. Difficilior quaestio est de mathematico, quo Locrum Pythagoreum significari putat Harduinus. At de huius scriptis omnia incerta, nec cui alii inter notos Timaeos mathematici nomen conveniat, hucusque inventus est (cf. Müller hist. graec. fragm. I, p. L). In quibus dubitationibus gravissima mihi videtur indicum Plinianorum auctoritas, in quibus sunt:

lib. IV.	lib. V.	lib. VI.
Agathocles	Agathocles	Agathocles
Eumachus	Polybius	Polybius
Timaeus *Siculus*	Timaeus *mathematicus*	Eumachus
Myrsilus	Herodotus	Timaeus *Siculus*
Alexander polyhistor	Myrsilus	Alexander polyhistor.
	Alexander polyhistor	

Quae inter se collata mathematicum a Siculo non diversum esse satis probant. Neque adversantur, quae V, 55 e mathematico de Nili natura afferuntur, optimeque convenire Siculo nemo ibit inficias. Erat vero Siculus *πολυΐστωρ* secundum Longinum (de sublim. IV, 1), „longe eruditissimus, et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus" teste Cicerone (de or. II, 14). Iam de metallica medicina eum scripsisse e Plinio discimus. Ad animalium naturam spectat fragmentum apud Aelianum (h. a. XVII, 15; fr. 156 Müll.). De arborum natura quaedam refert Plinius XVI, 34. Siderum vero, cum et hoc loco, et ubi de Nilo agitur, ratio sit habita, ad eundem scriptorem per-

tinere apparet, quae II, 38 de Veneris sidere ex Timaeo proferuntur. Quae quamvis pauca disiectaque membra si colligimus, Longini Ciceronisque de Timaeo indicium egregie confirmari unusquisque videt, et quamvis de rerum natura multa etiam historico operi inserta esse possent, tamen praeter metallicam medicinam reliquam quoque naturae historiam scriptis suis persecutum esse Timaeum probabilis videbitur coniectura.

Liber VI.

Sexto libro geographica terrae descriptio absolvitur non eo modo, ut de una tantum parte, velut Europa, Asia agatur, sed ut, quae minus erant cognita in extremis Scythiae, Indiae, Aethiopiae partibus, hoc libro comprehendantur. Auctores vero maximam partem iidem sunt, qui librorum IV et V, eodemque fere ordine in indice positi. Quare si Romanorum quidem in textu quoque idem fere ordo observatur, id casui tribuendum videtur, cui non ita fides habenda, ut inde quid conicere liceat. Novi accedunt Seneca, quem in retractando opere adscripsisse videtur Plinius, et Nigidius Figulus, de quo secundo capite dicendum est. Graecorum a reliquis seiungendi ii sunt, qui inde ab Aristocreonte ultimo loco nominantur, quorum omnium nisi in Syenae Aethiopiaeque descriptione (§ 178—205) mentio non fit.

EX AVCTORIBVS		
M. Agrippa . .	3	37. 39. 57. 136. 163. 196. 207. 209
M. Varrone . .	?	37. 51
Varrone Atacino		
Cornelio Nepote	5	31. 199
Hygino		
L. Vetere		
Mela Pomponio		
Domitio Corbulone	23	(cf. 40)
Licinio Muciano		
Claudio Caesare	27	31. 128 (cf. 84)
Arruntio		
Seboso . . .	183	201. 202
Fabricio Tusco		
T. Livio		
Seneca . . .	—	60
Nigidio . . .	217	

EXTERNIS	
Iuba rege . .	96. 124. 139. 140. 141. 149. 170. 176. 179. 201. 203
Hecataeo	
Hellanico	
Damaste	
Eudoxo . . .	198
Dicaearcho	
Baetone . . .	61. 69
Timosthene . .	15. 163. 183. 198
Patrocle . . .	58
Demodamante .	49
Clitarcho . . .	36. 198
Eratosthene . .	3. 36. 56. 81. 108. 163. 172. 183
Alexandro magno	40. 51. (58. 81. 96)
Ephoro . . .	198. 199

Hipparcho	
Panaetio	
Callimacho	
Artemidoro . .	36. 70. 163. 183. 207
Apollodoro	
Agathocle	
Polybio . . .	199. 206
Eumacho	
Timaeo Siculo	
Alexandro polyhistore	
Isidoro	
Amometo . . .	55
Metrodoro	
Posidonio . . .	56
Onesicrito . .	81. 96. 109. 124
Nearcho . . .	96. 97. 109. 124
Megasthene . .	58. 69. 81
Diogneto . . .	61
Aristocreonte .	183. 191
Bione	179. 180. 191. 193
Dalione . . .	183. 194
Simonide minore	183
Basile	183
Xenophonte Lampsaceno . .	200

Liber VII.

A Graecis incipiendum, quorum extra ordinem laudantur novissimi tres. Sed quae § 193 referuntur, supplementa sunt ad amplificandam § 192 addita; Metrodorus vero artem mnemonicam consummasse dicitur quidem § 89, sed de ipsa arte nil fere traditur, ut scriptoris nomen ostentationis potius causa indici postea adiecta videatur. Quod ad reliquos attinet, distinguendae sunt diversae ipsius libri partes. Et quae dicuntur „gentium mirabiles figurae“, tractantur § 1—32 e Graecis potissimum auctoribus, qui omnes, viginti numero, in indice iusto ordine recensentur. Aliud est caput „de spatiis vitae longissimis“ § 153—159; in quo cum recte sese excipiant qui laudantur scriptores, turbatur ordo insertis quattuor Epigenis, Berosi, Petosiris, Nechepsi nominibus, quorum § demum 160 mentio fit. Sed illam ipsam „sideralis scientiae sententiam“, quam „poscere videtur locus ipse“ (§ 160), postea insertam esse haec ipsa verba indicio sunt, qua occasione auctores ibi laudati non suo loco in indicem videntur irrepsisse. Quod etiam de Callimacho iam § 152 laudato statuendum erit. Tertium quoddam caput est de inventis § 191 sqq., in quo qui de navium generibus § 207 et 208 citantur, recte in indice sunt dispositi.

Quae capita quamquam sententiae meae de indicum dispositione commode favent, tamen parvam tantum huius libri partem complectuntur, idque ipsum offendit, quod in reliqua parte nulla fere Graeci scriptoris mentio fit. Romanos igitur si circumspicimus,

tantum abest ut his offensio illa tollatur, ut iis ipsis partibus, in quibus Graeci desiderantur, Romanorum quoque paucissimi commemorentur, iique, si nonnullos in initio et in fine positos excipias, nullo certo ordine. Quare ratio videtur habenda totius libri naturae, quae eiusmodi est, ut res in eo narratae minus certum dispositionis ordinem postulent, liberiusque evagandi saepissime occasionem offerant. Qua ita fortasse Plinius usus est, ut tum demum, cum iam quae dicenda erant, singulis capitibus collegisset, totius libri ordinem constitueret.

EX AVCTORIBVS

Verrio Flacco .	180	
Gnaeo Gellio .	192. 194. 197. 198	
Licinio Muciano	36.	159
Massurio Sabino	40.	135
Agrippina Claudi	46	
M. Cicerone . .	18. 85. 135	
Asinio Pollione		
M. Varrone . .	13. 75. 81. 83. 85. 176. 211. 214	
Messala Rufo .	173	
Cornelio Nepote		
Vergilio		
Livio		
Cordo		
Melisso		
Seboso		
Cornelio Celso		
Maximo Valerio		
Trogo	34	
Nigidio Figulo .	66	
Pomponio Attico		
Pediano Asconio	159	
Fabiano		
Catone censorio	171	
actis	186	
Fabio Vestale .	213	

EXTERNIS

Herodoto . . .	10	
Aristea . . .	10	
Baetone . . .	11	
Isigono . . .	12	16. 27
Cratete . . .	13	28. 31
Agatharchide .	13	29
Calliphane . .	15	
Aristotele . .	15	27. 192. 195. 205. 207
Nymphodoro .	16	
Apollonide . .	17	
Phylarcho . .	17	
Damone . . .	17	
Megasthene . .	23	25. 29
Ctesia	23	28. 207
Taurone . . .	24	
Eudoxo . . .	24	
Onesicrito . .	28	
Clitarcho . . .	29	30
Duride . . .	30	
Artemidoro . .	30	
Hippocrate medico	(123)	171
Asclepiade medico	(124)	
Hesiodo . . .	153	
Anacreonte . .	154	
Theopompo . .	154	
Hellanico	154	
Damaste	154	
Ephoro	154	207
Epigene	160	
Beroso	160	
Petosiri	160	
Nechepso	160	
Alexandro polyhistore	155	
Xenophonte . . .	155	
Callimacho . . . 152		
Democrito	(189)	
Diyllo historico		
Stratone, qui contra Ephori εὑρήματα scripsit		
Heraclide Pontico .	(175)	
Asclepiade qui τραγῳδούμενα		
Philostephano . . .	207	208
Hegesia	207	
Archemacho . . .	207	
Thucydide	207	
Mnesigitone . . .	207	208
Xenagora	208	
Metrodoro Scepsio .	89	
Anticlide	193	
Critodemo	193	

Messala, Rufo: Silligius Harduinum secutus, qui de duobus scriptoribus cogitat. At in indice libri XXXIV in Bambergensi exstat: *Messala rufo*. Septimi vero libri § 173 haec habemus: „C. Aelium Tuberonem praetura functum a rogo relatum Messala Rufus et plerique tradunt"; ubi ne interpungatur inter duo nomina, vetat quae sequitur *et* particula, quae aut omittenda aut ante „Messala" repetenda erat, si de duobus hominibus ageretur (cf. e. g. IX, 24; XIV, 120; XXX, 9; 11). Ceterum Rufi cognomen ei inditum videtur, ut a fratre patrueli, Messala Nigro, oratoris patre, distingueretur. De scribendi Messa*ll*ae nominis ratione quamquam recte disputavit Wiese (de M. Val. Messallae Corvini vita et scriptis p. 5), tamen codicum scripturam non immutavi, cum ipsa iam Plinii aetas haud sibi constitisse in ea re videatur. — Pro *Archimacho*, quod in indice habet, in textu libri, § 207, Silligius scribit *Archemachus*, recte; est enim Archemachus Euboeus, de quo cf. Mülleri fragm. hist. Gr. IV, p. 314 sqq.

Liber VIII.

Ordo talis, ut quae ab eo recedere videantur, ipsa tabulae dispositione indicare satis habeam.

EX AVCTORIBVS		
Muciano . . .	?	6. 201. 215
Procilio . . .	4	82 (cf. ad lib. XII)
Verrio Flacco .	17	
L. Pisone . .	17	
Cornelio Valeriano		
Catone censorio 11	?	210
Fenestella . .	19	195
Trogo		
actis	145	
Columella . .	153	
Vergilio . . .	162	
Varrone . . 104	167	
Lucilio . . .	195	
Metello Scipione	196	
Cornelio Celso		
Nigidio . . .	206	223
Trebio Nigro		
Pomponio Mela		
Mamilio Sura		

EXTERNIS		
Iuba rege . .	(? 2)	7.14.15.35.107.155
Polybio . . .		31. 47
Herodoto . . .	7	
Antipatro . . .	11	31
Aristotele . .	28	43. 44. 105. 229
Demetrio physico	59	
Democrito . .	61	
Theophrasto . .	?	104. 111. 128. 173. 222
Euanthe . . .	81	
Agriopa (?) qui Ὀλυμπιονίκας	82	
Hierone rege		
Attalo rege Philometore		
Ctesia 75	?	
Duride	143	
Philisto	144	158
Archyta		
Phylarcho	158	
Amphilocho Athenaeo		
Anaxipoli Thasio		
Apollodoro Lemnio		
Aristophane Milesio		
Antigono Cymaeo		
Agathocle Chio		
Apollonio Pergameno		
Aristandro Athenaeo		
Bacchio Milesio		
Bione Solense		
Chaerea Athenaeo		
Diodoro Prienaeo		
Di[n]one Colophonio		
Epigene Rhodio		
Euagone Thasio		
Euphronio Athenaeo		
Hegesia Maroneo		
Menandris Prienaeo et Heracleote		
Menecrate poeta		
Androtione qui de agricultura scripsit		
Aeschrione qui item		
Lysimacho qui item		
Dionysio qui Magonem transtulit		
Diophane, qui ex Dionysio epitomen fecit		
Archelao rege		202. 218
Nicandro		

Agriopae nomen incertum et quod sola Gelenii codicum auctoritate nititur; *Apoca* RTad. § 82: *////acopas* R. *copas* TKdr. Quae ibi de Demaeneto Parrhasio in lupum converso fabula narratur, eadem mutato tantum Demaeneti in Demarchi Parrhasii nomen a Pausania (VI, 8, 1) refertur, ut videtur, ex Euanorida Olympionicarum scriptore. Quod scriptoris nomen quamquam a Plinianorum codicum vestigiis longe abest, tamen utrumque ex eodem fonte haustum esse non levis suspicio nascitur (cf. Müller fragm. hist. Gr. IV, p. 407). — *Attalum Philometorem* habemus apud Varronem (de r. r. I, 1, 8), recteque de uno homine sermonem esse demonstraturus Harduinus laudat Plutarchi in Demetrio (20) verba: Ἄτταλος δὲ ὁ Φιλομήτωρ ἐκήπευε τὰς φαρμακώδεις βοτάνας κτλ., unde neque Attalus medicus Plinio saepius commemoratus a rege distinguendus videtur. At Columella, qui I, 1, 8 eosdem fere geoponicos auctores, quos Varro, laudat, Philometorem et Attalum nominat, codicumque Plinianorum ratio haec est, ut non hoc indice solo, sed etiam lib. XIV, XV, XVII, XVIII in disiungendis nominibus sibi constent. Accedit, quod, cum in medio indice lib. XI sit *Attalo rege*, in fine additur: *Philometore rege*. Quare codicum scriptura non ad librariorum incuriam, sed ad Plinii ipsius errorem referenda, ob eamque causam etiam XVIII, 22 cum *βγ Philometor, Attalus* scribendum videtur. — De reliquorum geoponicorum catalogo id tantum adnotandum, *Aristophanem* a Plinio Milesium, a Varrone Malloten vocari. Columella, cum duos Milesios, Bacchium et Mnaseam, laudet, Aristophanem omittit, unde maior fortasse Varroni auctoritas.

Liber IX.

Quae e Fabiano § 24, Muciano § 33, Statio Seboso § 46 afferuntur, omnia sunt eiusmodi, ut a Plinio, cum de aliis rebus eos scriptores consulere coepisset, inventa postea possint addita esse. Item e Trebio Nigro, quae de polypis iam conscripta erant, amplificasse Plinium probabilis coniectura videbitur; praesertim cum lib. X, 40 eum laudatum, sed in indicem non relatum inveniamus. Nigidium vero in retractando opere a Plinio adscriptum esse indici inde conicere licet, quod etiam in sequentibus indicibus novissimum fere occupat locum.

EX AVCTORIBVS — EXTERNIS

Turranio Gracile	11	
Trogo		
Maecenate . . .	24	
Alfio Flavo . . .	24	
Cornelio Nepote .	61	136
Laberio mimographo	61	
Fabiano . . 24		
Fenestella . . .	65	123
Muciano . . 33	67	80. 94.182
Aelio Stilone . .	123	
Statio Seboso . 46		
Melisso		
Seneca	167	
Cicerone		
Macro Aemilio		
Messala Corvino		
Trebio Nigro . .	—	80. 89. 93
Nigidio	—	186

Aristotele . . .	17	76. 78. 79
Archelao rege		
Callimacho		
Democrito		
Theophrasto . .	27	175
Thrasyllo		
Hegesidemo . . .	27	
Sudine	115	
Alexandro polyhistore	115	

Hegesidemo Cythnio: Silligius allata hac codicum discrepantia: *Cythnio*, T. *Cydnio*, r (codd. Barbari). *Sudino:* ad. *Sudyno*, R¹. *Sudine*, R². Iam cum secundae Riccardiani codicis manui auctoritas non desit, Sudines vero ipsius libri § 115 laudetur, etiam in indice eius nomen restituere non dubitavi.

Liber X.

Ordo servatur in libri initio eiusdemque quaedam vestigia etiam in reliqua parte deprehenduntur. — § 7 cum Philemoni vix locus esse videatur, tenendum est eum de oraculis scripsisse (Athen. IV, 114), ut quae ex Phemonoe laudantur, facile ex ipso Philemone deprompta esse possint. — De Nigidio quae superiore libro adnotavi, etiam de Mamilio Sura valent.

EX AVCTORIBVS — EXTERNIS

Manilio . . .	4	5
Cornelio Valeriano	5	
actis	5	
Umbricio Meliore	19	
Massurio Sabino	20	
Antistio Labeone	37	
Trogo	?	101
Cremutio . . .	?	74
M. Varrone . .	?	110
Macro Aemilio		
Melisso		
Muciano		
Nepote . . .	60	
Fabio Pictore .	71	
T. Lucretio		
Cornelio Celso .	?	150
Horatio . . .	145	
Deculone		
Hygino		
Sasernis		
Nigidio . . .	—	37. 39.106
Mamilio Sura		

Homero	7	138
Phemonoe	7	21
Philemone		
Boeo qui ὀρνιϑογονίαν	7	
Hyla qui de auguriis	38	
Aristotele . . . 33	?	185. 187
Theophrasto . . .	79	
Callimacho		
Aeschylo	86	
Hierone rege		
Philometore rege		
Archyta Tarentino		
Amphilocho [et qui sequuntur lib. VIII usque ad Diodorum]		
Di[n]one Colophonio	136	
Democrito	137	
Diophane — Euphronio		
Iuba	126	
Androtione — Diophane		
Nicandro		
Onesicrito		
Phylarcho	207	
Hesiodo	208	

§ 136 cum laudetur „Dinon, Clitarchi celebrati auctoris pater", sequentique § Democritus, iam Reinesius (Var. lect. lib. II, p. 161) animum advertit, in indice *Dinonis* nomen esse restituendum, sed ita ut „absorptum ab adfini vocabulo *Dionis*" crederet, a quo Colophonio inter geoponicos laudato Dinon historicus distinguendus sit. Sed sane simplicior ipsius *Dionis* in *Dinonis* nomen mutatio foret. Cui obstare quidem videtur, quod apud Varronem (de r. r. I, 1, 8) et Columellam (I, 1, 9) *Dion Colophonius* memoratur, e quibus scriptoribus is ipse in complurium Plinii librorum indices receptus est. Verum enim vero ibi cum reliquorum librorum nulla scripturae discrepantia enotetur, in palimpsesto lib. XIV et XV ipsum quem ex-

petimus *Dinonem* habemus Colophonium. Qua auctoritate num in geoponicorum catalogum Dinonis nomen inferendum sit, quamquam dubius haereo, libri XII et XIII indici restituendum ex palimpsesto (lib. XIII) pro certo affirmare audeo: accedit enim ibi Riccardiani codicis auctoritas (in quo etiam l. X *Dinone* scriptum esse affirmat Ianus, editionis suae vol. II, praef. VII), deque historico Clitarchi patre ibi agi vel inde certissimum est, quod medio inter alios de Alexandri rebus scriptores loco illic positus est.

Liber XI.

Pauci tantum auctores in ipso libri textu laudantur, neque ii semper certo ordine. Agitur autem post introductionem (§ 1—10), in qua Aristotelem Democritumque consuluisse videtur Plinius, § 11—70 de apibus ex auctoribus Romanis qui sunt usque ad Columellam, Graecis usque ad Attalum. Graecis vero in componendo libro non ita videtur usus esse Plinius ut ipsos singulosque consuleret, sed Romani cuiusdam scriptoris excerpta eodem fere modo adhiberet quo e. g. in geoponicis versatus est, qua de re in secunda huius disputationis parte agetur. Recte sequuntur Romanorum qui de auguriis scripserunt, e quibus inter alia deprompta sunt, quae habemus § 55 et 84; Graecorum Apollodorus qui de bestiis venenatis, laudaturque § 87 et 88. Iam § 120 partem diegematicam excipit systematica, quae in argumento libri inscribitur: „animalium omnium per singula membra naturae et historiae"; in qua cum physiologicarum adnotationum haud exigua pars sit, ad eas sunt referendi, qui in indice sequuntur medici Graeci, Romanorumque certe nonnulli, ut Trogus, Nigidius. Unde nec in hoc indice ordinem desiderari apparet.

EX AVCTORIBVS	
M. Varrone	
Hygino	
Scrofa	
Saserna	
Celso Cornelio	
Aemilio Macro	
Vergilio	70
Columella	
Iulio Aquila qui de Etrusca disciplina scripsit	

Tarquitio qui item	
Umbricio Meliore qui item	
Catone censorio	
Domitio Calvino	
Trogo	229. 274
Melisso	
Fabiano	
Muciano	167
Nigidio	97. 140
Mamilio	
Oppio	252

EXTERNIS		
Aristotele	?	266. 273
Democrito	?	80
Neoptolemo qui μελιτουργικά		
Aristomacho qui item . .	19	
Philisco qui item . . .	19	
Nicandro		
Menecrate	17	
Dionysio qui Magonem transtulit		
Empedocle		
Callimacho		
Attalo rege		

Apollodoro qui de bestiis venenatis	87	88
Hippocrate		
Herophilo	219	
Erasistrato		
Asclepiade		
Themisone		
Posidonio Stoico		
Menandris Prienense et Heracleote		
Euphronio Athenaeo		
Theophrasto	281	
Hesiodo		
Philometore rege		

Pro *Mamilio* Sillgius contra codicum auctoritatem scribit *Manilio*, de eodem agi ratus, qui laudatur X, 4. Is vero est Manilius, quem in capite indicis posuit Plinius; libro XI Mamilius Sura est intelligendus, quem Nigidio item iunctum habemus in fine indicis libri X. Recte igitur *Mamilio* Ianus reposuit. — *Philisto* Silligius; at e cod. Θ (coll. a, ubi *Philischo*) *Philisco* esse restituendum, docet ipsius libri § 19, ubi de terminatione omnes consentiunt codices.

Libri XII et XIII.

Iidem auctores in utriusque libri indice recensentur, quare in altero ordo non exspectandus. Ceterum qui Romanorum agmen claudunt, si quae ex iis excerpta sunt spectamus, quin libro XII omnino neglecti, libro XIII vero de Numae tantum libris consulti sint vix dubitari potest.

EX AVCTORIBVS

	XII.	XIII.
M. Varrone . .		68.70.84.87
Muciano . . .	10	88
Vergilio . . .	17	
Fabiano . . .	20	
Seboso		
Pomponio Mela		
Flavio Procilio		
Hygino . . .		134
Trogo		
Claudio Caesare	78	
Cornelio Nepote		104. 106
Sextio Nigro qui Graece de medicina scripsit		
Cassio Hemina .		84
L. Pisone . .		87
Tuditano . . .		87
Antiate . . .		87

EXTERNIS

Theophrasto . .	[9]	101
Herodoto . . .	17. 80. 85	
Callisthene		
Isigono		
Clitarcho		
Anaximene		
Duride		
Nearcho		
Onesicrito . .	34	
Polyclito		
Olympiodoro		
Diogneto		
Nicobula		
Anticlide		
Charete Mytilenaeo		
Menaechmo		
Dorotheo [Xenia] Athenaeo		
Lyco		
Antaeo		
Ephippo		
Dinone		
Adimanto		
Ptolemaeo Lagi		
Marsya Macedone		
Zoilo item		
Democrito . .		131
Amphilocho		
Aristomacho . .		130. 131
Alexandro polyhistore . . .		119
Iuba	56. 61. 67. 79	34. 142
Apollodoro qui de odoribus		
Heraclide medico		
Archedemo item		
Dionysio item		
Democede item		
Euphrone item		
Mneside item		
Diagora item		
Iolla item		
Heraclide Tarentino		
Xenocrate Ephesio		
Eratosthene	— 53	

Silligius cum alterum ex altero indicem iteratum esse non animadvertisset, quid inde ad emendanda auctorum nomina redundaret, melius perspexit Urlichs in Iahnii annal. philol. et paedag. LXXIII, 71—72. Videntur tamen haec mihi observanda. — Silligius lib. XII *Flavio*, *Procilio*, lib. XIII *Fabio*, *Procilio*. Recte commate deleto utrumque nomen coniungit Urlichs; nam quos laudat Plinius Fabios vel Flavios (excepto Fabio VIII, 82, de quo postea) semper cognominibus Pictoris, Dosseni, Alfi distinguit. Porro vero etiam *Procilio* in *Proculo* mutandum proponit, quod est cum in omnibus fere codicibus, tum etiam lib. XIII in palimpsesto nuper reperto: solus Toletanus eo ipso libro scripturae *Procilio* patrocinatur. Intelligendum enim esse Proculum, quem Trebellius Pollio (trig. tyr. 22) dicat „grammaticum, doctissimum sui temporis virum, qui de peregrinis regionibus scripsit“, non Procilium annalium scriptorem Pompeio aequalem. Sed Proculi illius gentile nomen quale fuerit cum plane sit incertum, iam Vossius (de hist. lat. p. 60) de tempore eius ita statuit, ut apud Plinium mentio eius fieri non possit: „nam Proculus sine dubio Pollioni is est, qui Capitolino in M. Antonino philosopho (c. 2) nominatur Eutychius Proculus Siccensis: ubi itidem grammaticus vocatur atque ab Antonino ad consulatum dicitur evectus: nempe sesquiseculo et amplius post tempora Procilii“, integro igitur post Plinium fere seculo. Accedit quod Procilium, quem in libri VIII indice agnoscere nemo dubitat, Fabiae gentis fuisse certo quodam modo demonstrari potest. Laudatur enim eo ipso libro § 82 nullo addito cognomine *Fabius*. Quod nomen cum reliquorum scriptorum in indice laudatorum nulli conveniat, iam si indices lib. XII et XIII spectamus, ad Procilium referendum esse apparet. — Graeci scriptores inde a Callisthene usque ad Zoilum omnes sunt de rebus Alexandri. Quae causa est, cur Passovium (opusc. p. 223) secutus pro *Polycriti*, qui Siculas res tractavit, *Polycliti* nomen textui inseruerim (cf. Müller script. de rebus Alex. fragm. p. 129 sq.). — *Nicobulo:* Silligius lib. XII, nulla librorum varietate; at lib. XIII *Cleobulo;* ita T; *Nicobulo* R et palimpsestus; *Dicobulo* ad. De quibus scripturis cum recte observet Urlichs, agi in utroque libro de uno eodemque scriptore, quem de rebus Alexandri scripsisse verisimile sit, debuit ulterius progredi, reiectaque cogitatione de Cleobulo, qui geographica scripsit (V, 136) Nicobu*lae* nomen restituere, quam de rebus Alexandri scripsisse discimus ex Athenaeo X, p. 434 C; XII, 537 D. — *Democli* quem pro *Adimanto* lib. XII indici Silligius inseruit, inter hos scriptores locum non esse inde apparet, quod Xerxis tempore eum vixisse a Dionysio Halicarnassensi (iud. de Thuc. 5) edocemur. Accedit quod cum Adimanti nomen lib. XII in omnibus codicibus constet, id ipsum lib. XII quoque secundae Riccardiani manus auctoritate commendatur. —

Menaechmo, *Dorotheo*, *Xenia Athenaeo* codd. Barbari, unde Reinesius (var. lect. II, p. 162) *Menaechmodoro*, *Theoxenia* efficere vult, quod ferendum non est. Sed de Xenia, cuius nomen in reliquis codicibus omittitur, in incerto relinquenda est quaestio: scriptor enim plane ignotus. De Dorotheo quidem nihil ad rem faciunt, quae de Sidonio vel Ascalonita huius nominis disputavit Roeper (lect. Abulpharag. Gedani 1844, I, p. 50). Agitur enim de historico, quem *τὰ περὶ Ἀλέξανδρον* scripsisse scimus (cf. Müller script. de reb. Alex. fragm. p. 155); sed de huius quoque patria omnia incerta. — Aristomachi nomen cum in reliquis codicibus lib. XII ante Alexandrum polyhistorem, lib. XIII post eum positum sit, palimpsestus hoc ipso prioris libri ordinem servat. — Botryis nomen, quod lib. XII Silligius omittit, ibi restituendum esse, ipsa librorum varie corruptorum vestigia docent. — Medici qui post Dionysium sequitur nomen non tantum his duobus libris, sed etiam libr. XXXIII —XXXV item cum Heraclide, Archedemo, Dionysio aliis coniunctum redit, quare non ferendum, quod Silligius hic *Democlide* illic *Democle* scribit. In libris enim haec sunt:

XII. *Democlide* T. *Demedo* R. *Demode* R in indice initio libri ipsius posito. *Democle* a d.

XIII. *Democlide* R T a d. *Democle* pal.

XXXIII. *Democrito* R a. *Democle* rell.

XXXIV. *Democle*.

XXXV. *Demode* a; *Democle* rell.

Unde apparet maiorem *Democle* scripturae auctoritatem esse ob Bambergensem maxime librum. Sed de Democle medico nil compertum habemus. At contra Democedi Crotoniatae iam apud Herodotum magnam famam fuisse observavit Harduinus (cf. Hecker Gesch. d. Heilkunde I, 90). *Democede* igitur, quod facile et in *Democlide* et in *Democle* corrumpi poterat, non sine magna probabilitate vera scriptura credenda est. — Eratosthenes, qui est in solo libri XII indice, laudatur quidem § 53, sed in ipso indice omittunt R T a d. Quare si non delendum nomen, tantum quidem certum, additum tum demum esse, cum Plinius opus retractaret.

Libri XIV et XV.

In utroque libro quamquam eadem scriptorum nomina repetita sunt, tamen non prorsus eodem modo disposita apparent. Accedit aliud, quod singularem horum indicum rationem esse indicat: lib. enim XIV, 127 haec sunt verba: „Differentiam rationemque faciendi (picem) proxumo volumine demonstrabimus inter arbores feras.“

Agitur vero de arboribus feris non XV, sed XVI libro. At in ipso libri XIV fine, § 150: „olei, de quo in sequenti volumine dicemus“, quod volumen re vera est XV. Quae cum sibi repugnent, non video alium solvendae quaestionis modum, nisi ut libros XIV et XV initio unum formasse volumen statuamus, quod postea divisum est. Idque eam ob causam factum videtur, quod, cum opus retractaret Plinius, multis observationibus locum dabat, quarum initio rationem habendam esse non putaverat: „Noscentes tantum meminerint naturas earum (arborum) a nobis interim dici, non culturas, quamquam et colendi maxuma in natura portio est“: XIV, 1. At ab hoc consilio saepius, maxime libro XIV quo de vino agitur, digressus est. Quae mecum reputanti videtur mihi in prima textus recensione usus esse Plinius e Romanis Valeriano e. q. s. usque ad Columellam, praeterea fortasse e medicis Sextio Nigro et Vibio Rufo, e Graecis Hesiodo e. q. s. usque ad Erasistratum. Adiecti deinde sunt Graecorum ii qui de conditura vini scripserunt, item Themison ob oxymeli notitiam, libro demum XV Onesicritus et fortasse Iuba. Romanorum Plauti e. q. s. usque ad Capitonem praeter XIV, 92 et 93 nullus videtur usus fuisse; L. Pisonis et Pompei Lenaei libro demum XV, itemque reliquorum de singulis tantum rebus. Hoc igitur modo cum index constitutus esset, postea cum dividerentur libri, posterioris indicis dispositio paullulum immutata est, positis in initio, ut ordo postulabat, Fenestella et Fabiano, insertisque Cotta, Pisone, Lenaeo ante Plautum e. q. s., quorum nomina ornamenti potius causa repetita videntur.

Lib. XIV. EX AVCTORIBVS			Lib. XV. EX AVCTORIBVS		
Cornelio Valeriano	11		Fenestella . . .		1
Vergilio . . 7	18	35. 39. 67. 128	Fabiano		4
			Vergilio		4 — 6. 56. 57
			Cornelio Valeriano		
Celso					
Catone Censorio	44	52. 79. 86. 90. 91. 104. 110. 129		20	(24). 33. (44. 46.) 50. 56 72. 74. 82. 85. 90. 123
Sasernis patre et filio					
Scrofa					
M. Varrone . .	47	88. 96		34	60
D. Silano					
Fabio Pictore .	89				

Trogo
Hygino
Flacco Verrio
Graecino . . 33
Iulio Attico
Columella . . .
Massurio Sabino
Fenestella
Tergilla | 124
Cotta Messalino
L. Pisone . | 126
Pompeio Lenaeo | 127
Maccio Plauto | 92
Fabio Dosseno | 92
Scaevola | 93
L. Aelio | 93
Ateio Capitone | 93
Cotta Messalino
L. Pisone
Pompeio Lenaeo
Sextio Nigro
Vibio Ruf[in]o

EXTERNIS

Hesiodo | 3 | Theophrasto | 1. 11. 138
Theophrasto | | Hesiodo | 2

Aristotele
Democrito . . . . . | 20 | 138
Hierone rege
Attalo rege
Philometore rege
Archyta
Xenophonte
Amphilocho Athenaeo
Anaxipoli Thasio

Apollodoro Lemnio . . | 76
Aristophane Milesio
Antigono Cymaeo
Agathocle Chio
Apollonio Pergameno
Aristandro Athenaeo
[Botrye item]
Bacchio Milesio
Bione Solense
Chaerea Atheniense
Chaeristo item
Diodoro Prienaeo
Dinone Colophonio
Epigene Rhodio
Euagone Thasio
Euphronio Athenaeo . | 120
Androtione qui de agricultura scripsit
Aeschrione qui item
Lysimacho qui item
Dionysio qui Magonem transtulit
Diophane qui ex Dionysio epitomen fecit
Asclepiade medico . . | 76
Erasistrato item . . . | 73
Commiade qui de conditura vini . . . . | 120
Aristomacho qui item . | 120
Hicesio qui item . . . | 120
Themisone medico . . | 114
Onesicrito . . . . . | | 68
Iuba rege

Flavio, *Dosseno* Silligius. Sed scribendum esse *Fabio* coniungendumque *Fabio Dosseno* recte vidit Urlichs (l. l. p. 72) collato XIV, 42. Idem ratione habita palimpsesti variarumque aliorum librorum corruptelarum, item libri XIV, 93 Aelio Lucii praenomen vindicavit. Quae librorum constantia et Ritschelii (Parerg. Plaut. I, 392) de C. Aelio Gallo cogitantis dubitationes removebit. Difficilior est quaestio de Vibio Rufo vel Rufino, neque quod post Urlichsium addam in promptu nunc est.

In Graecorum indice omnes fere codices lib. XV omittunt Theophrastum; redintegratur a palimpsesto eodem quo lib. XIV loco. At in cod. t cum sit *Theophrasto*, *Hesimio*, videtur Theophrastus primo loco ponendus, quo etiam in ipso libri XV textu laudatur. — Apollodorum in indice medio inter geoponicos loco habemus Lemnium patria. Libri vero XIV § 76 citatur Apollodorus medicus. Iam cum apud Plinium de Apollodoris medicis altero Citiensi, altero Tarentino sermo sit, quaeritur num de tertio quoque Lemnio medico cogitari possit, qui etiam de agricultura scripserit. Quod certe non omnino negandum videtur. Haud enim exigua medicinae artis pars in rerum naturalium peritia versatur. Quare si, qui laudatur lib. XXXIII sqq. Apollodorus inter medicos, libro XIII et XIV scripsisse de odoribus (*περὶ μύρων καὶ στεφάνων* Athen. XV, 675), idem fortasse lib. XI de bestiis venenatis dicitur, eiusdem igitur si laudatur lib. XIV, 76 volumen, „quo suasit Ptolemaeo regi quae vina biberet“, his ipsis medici libris pluruma, quae ad arborum herbarumque culturam pertinerent, inesse posse nemo negabit, unde locus ei inter geoponicos. — Botryis nomen inter eos solo XV libro exstat, neque apud Varronem et Columellam eius mentio. Quare cum in palimpsesto etiam ipso lib. XIV omittatur, prorsus delendum esse censeo. — Post Asclepiadem Erasistrati, Commiadis, Aristomachi, Hicesii, Themisonis nomina in indice libri XIV Silligius omittit, ex indice libri sequentis per errorem librariorum huc migrasse ea censens. Sed mire fallitur. Lib. enim sequenti cum nemo eorum in textu laudetur, reperiantur vero omnes lib. XIV, § 73; 114; 120, iam repetita potius esse nomina in indice l. XV, quam falso inserta l. XIV apparet.

Liber XVI.

Sunt hic quaedam, quae explicationem adhuc exspectent. Ne quis tamen temere me iustoque audacius in disponenda indicis tabula progredi existumet, unius § 9 verba proponam: „Antiquitus quidem (corona) nulla nisi deo dabatur; *ob id Homerus caelo tantum eam et proelio universo tribuit*, *viritim vero ne in certamine quidem ulli*; feruntque primum omnium Liberum patrem imposuisse capiti suo ex hedera. Postea

deorum honori sacrificantes sumpsere. . .“ Ubi quam bene omnia procedant si, quae diversis litteris expressi, postea addita esse sumimus, unus quisque videt.

EX AVCTORIBVS		
M. Varrone . .	(7)	115. 194
Fetiale . . .	(?11)	
Nigidio . . .	25	
Cornelio Nepote	36	
Hygino . . .	?	230
Massurio . . .	75	236
Catone . . .	92	139.141.173.176.193.230
Muciano . . .	?	214
L. Pisone . . .	192	
Trogo		
Calpurnio Basso		
Cremutio . . 108		

Sextio Nigro . 51		
Cornelio Boccho	216	
Vitruvio		
Graecino . . .	241	
EXTERNIS		
Alexandro polyhistore . . .	16	
Hesiodo . . .	31	
Theophrasto . .	?	144
Democrito		
Homero . 9. 19	62	110
Timaeo mathematico	82	

Liber XVII.

Geoponici sunt, Graecorum quidem, uno excepto Theopompo, iidem qui lib. XIV et XV. Romanorum quamquam non tam certus ordo, tamen omnium, qui a Catone usque ad Atticum Iulium nominantur, etiam in antecedentibus libris multiplex usus fuerat, ut quo ordine in indice disponeret, minus curaret Plinius. Adiecti initio Cornelius Nepos, post Atticum alii nonnulli, in fine Graecorum Aristander, quos nisi de singulis quibusdam rebus non consuluisse Plinium sat probabile videtur.

EX AVCTORIBVS	
Cornelio Nepote	
Catone censorio	34.55.71.81.83.86.87.93.97.111.115.119.125.170.190.195.224.265.267
M. Varrone . .	50. 54. 237
Celso	
Vergilio . . .	19. 20. 29. 56. 100. 105
Hygino	

Sasernis patre et filio	199
Scrofa . . .	199
Calpurnio Basso	
Trogo	58
Aemilio Macro	
Graecino	
Columella . . .	51. 52. 137. 162
Attico Iulio	
Fabiano	

Mamilio Sura	
Dosseno Mundo	
C. Epidio . . .	243
L. Pisone . .	245
EXTERNIS	
Hesiodo	
Theophrasto . .	226
Aristotele	

Democrito . .	23. 62
Hierone — Diophane [ut lib. XIV et XV, e quibus nominatim in textu refertur Mago] . .	63. 80. 93. 128. 131
Aristandro qui de portentis . . .	243

Liber XVIII.

Distinguendae sunt classes potius scriptorum, quam singulorum ordo exspectandus. Praemittitur primario capiti, quod est de agricultura, praefatio quodam modo historica (§ 1—21), ad quam referuntur primi inter Romanos auctores. De geoponicis cum Graecis tum Romanis, qui sequuntur, idem valet, quod de antecedenti libro observatum est. Hos porro excipiunt astronomi, a Thalete usque ad Aratum, a Tuberone usque ad Ciceronem, Arati interpretem, de quibus postea dicendum. Qui agmen claudunt, in opere retractando adiectos esse, ipsorum nomina indicio sunt, cum iidem saepius in fine indicum recurrant. Accedit, quod, quae § 200 ex Attio et Zoroastre referuntur, praepostero loco inserta sunt. Nam cum § 201 scribat Plinius: „Sequitur huc dilata et maxuma indigens cura de tempore fruges serendi quaestio," § 200 verbis „Adiecit his Attius in Praxidico, ut sereretur cum luna esset in ariete, geminis, leone, libra, aquario, Zoroastres sole scorpionis duodecim partis transgresso, cum luna esset in tauro", non ante sed post § 201 locum esse apparet.

EX AVCTORIBVS

Massurio Sabino	
Cassio Hemina .	7
Verrio Flacco .	(? 8. 9). 62
L. Pisone	42
Cornelio Celso	
Turranio Gracile	75
D. Silano . . .	22
M. Varrone . .	17.22.56.119.143.228. 285. 286. 289. 294. 307. 348
Catone censorio 11	22.26.27-31.34.36.44 45.77.143.163.174. 229.243.260.295.337
Scrofa	
Sasernis patre et filio	

Domitio Calvino	
Hygino . . .	232
Vergilio . . .	35.120.157.181.187. 202.209.242.295. 300. 321. 340
Trogo	
Ovidio	
Graecino	
Columella . .	70. 303
Tuberone . . .	235
L. Tarutio qui graece de astris scripsit	
Caesare dictatore qui item	211.214.234. 237.246-8.255-6.258.270-1. 309-13.
Sergio Paulo	
Sabino Fabiano .	277
M. Cicerone . .	224. 228
Calpurnio Basso	
Ateio Capitone .	108
Mamilio Sura .	143
Attio qui praxidica scripsit . . .	200

EXTERNIS

Hesiodo	201. 213
Theophrasto	
Aristotele . . .	335
Democrito . . .	47.159.231. 273.312. 321. (341)
Hierone rege . .	22
Attalo rege . . .	22
Philometore rege .	22
Archelao rege . .	22
Archyta	
Xenophonte . . .	22. 224
Amphilocho-Diophane [ut lib. XIV et XV, in quibus Mago] .	144 22.35.97
Thalete	314
Eudoxo	312
Philippo	312
Callippo	312
Dositheo	312
Parmenisco . . .	312
Metone	
Critone	312
Oenopide	
Conone	312
Euctemone . . .	214
Harpalo	
Hecataeo	
Anaximandro . .	214
Sosigene	211. 212
Hipparcho	
Arato	
Zoroastre . . .	200
Archibio	294

Pro *Conone* Silligius *Zenone* e cod. *TT*; sed *aa*: *Oenone*, *dd*: *Conone*, quam scripturam veram esse docet § 312.

Liber XIX.

A quo index incipit, Plautus laudatur § 51: „hortos tutelae Veneris adsignante Plauto.“ Qui sequitur, Varro de r. r. I, 1, 6 haec habet: „Item adveneror Minervam et Venerem, quarum unius procuratio oliveti, alterius hortorum.“ Ab his igitur profectus, si, quam bene reliquorum ordo procedat, animum advertis, iam quae nunc sunt in libri initio § 1—48, non item fuisse, cum primum Plinius constitueret textum, facile conicies. Quae coniectura firmatur verbis ipsius libri initio positis: „Siderum quoque tempestatumque ratio . . . demonstrata est. Proxumam multi hortorum curam fecere; nobis non protinus transire ad ista tempestivom videtur“; et § 49: „Ab his superest reverti ad hortorum curam.“ Cum enim hoc libro de hortorum cultura agere constituisset, pauca postea sibi superesse videbat, quae „dici neque inter fruges neque inter hortensia“ (§ 2) poterant, ut linum; haec igitur medio inter utraque loco inseri optime conveniebat.

EX AVCTORIBVS

Maccio Plauto .	51
M. Varrone . .	(?51). 8
D. Silano	
Catone censorio	57.(24).93.136.145.147
Hygino . . .	? 88
Vergilio . . .	59
Muciano . . .	? 12
Celso	
Columella . .	68
Calpurnio Basso	
Mamilio Sura	
Sabino Tirone .	177
Licinio Macro	
Q. Hirtio	
Vibio Rufo	
Caesennio qui κηπουρικὰ scripsit	
Castritio item	
Firmo item	
Petricho item	

EXTERNIS

Herodoto		
Theophrasto . .	?	32. 162
Democrito		
Aristomacho . .	84	
Menandro qui βιόχρηστα scripsit	113	
Anaxilao	—	20

Pro *Licinio „Aemilio“ Macro* scribere iubet Unger (de Aemilio Macro p. 15, qui liber mihi ad manus non est; de Valgio Rufo p. 211); neque hoc solo libro, sed etiam XXI; XXVIII—XXX; XXXII ind. et § 9 et 14. Saepissime enim confusa esse nomina illa; rerum autem naturalium scriptorem, qualis Aemilius, non oratorem et annalistam, qualis Licinius, intelligendum esse, docere inprimis quae ex ipso referantur lib. XXXII. Quod recte disputatum esse, etiam contra Liebaldtium (de C. Licinio Macro, Numb. 1848, p. 9) contendo. Sed tamen contra constantem codicum auctoritatem nomen a Sillgio non mutatum probo, eo inclinans animo, ut Plinio ipsi errorem tribuendum censeam.

De κηπουρικῶν scriptoribus Romanis nihil praeterea innotuit, neque cum in fine indicis positi sint, multus eorum usus videtur fuisse. Caesennii nomen in mentem vocat „Caesonianum praeceptum“ Columellae (I, 4, 1): „agrum esse revisendum saepius eum, quem velis mercari„, unde suspicio nascitur de eodem scriptore apud Plinium et Columellam agi posse. Pro *Petreio* Silligius Harduinum secutus *Petricho* scripsit. Et ita sane in indice lib. XX sqq. scribendum. Sed qui ibi Petrichus laudatur inter externos, aliunde quoque notus scripsit ὀφιακά, qui libro XIX κηπουρικά. Quae quamquam eiusdem scriptoris esse posse non nego, tamen Romani scriptoris Romanum nomen e cod. T restituere satius videbatur.

Libri XX—XXVII.

Indices horum librorum tripartiti sunt ita, ut ab externis medici segregentur. Scriptores vero quos sequitur Plinius, omnibus his libris iidem sunt, nisi quod indicum alii breviores, alii longiores sunt. Sunt autem qui laudantur maxumam partem Graeci, ut de Romanis nihil fere sit adnotandum. — Libro XX Celsum Antoniumque Castorem non in prima textus recensione adhibitos esse ex locorum excerptorum indicisque dispositione conieci. Neque ut mihi quidem videtur, iniuria. Celsi enim utilitatem Plinius cum sequenti libro, ubi prorsus alium in indice locum obtinet, cognovisset, postea etiam de rebus antea iam tractatis eum consuluit. Castor vero vigesimo demum tertio libro in manus Plinii incidisse videtur; quo factum est ut in eius libri indice nobilior illi locus concessus sit, cum in libro XXI adscriptus sit in fine. Fabianum secundis deberi curis, vel ex eo quod in solo libri XXIII indice ultimo loco comemoratur, concludere licet.

EX AVCTORIBVS xx.		
Catone censorio	?	78.80.(84).92
M. Varrone . .	?	43.152.218
Pompeio Lenaeo		
C. Valgio		
Hygino . . .	116	
Sextio Nigro, qui Graece scripsit	226	
Iulio Basso qui item		
Celso	—	29
Antonio Castore	—	174. 244. 261

EX AVCTORIBVS	XXI	XXII
Catone censorio	1	
M. Varrone . .		13. 114. 141
Massurio		

Antiate . . .			Calpurnio Basso		
Caepione . . .	18		C. Valgio		
Vestino			Licinio Macro		
Vibio Rufo			Sextio Nigro qui Graece scripsit		
Hygino . . .	53		Iulio Basso qui item		
Pomponio Mela			Antonio Castore		
Pompeio Lenaeo					
Cornelio Celso .	176				

EX AVCTORIBVS	XXIII	XXIV	XXV	XXVI	XXVII
C. Valgio . . .			4		
Pompeio Lenaeo	149	67	5—7. 63		
Sextio Nigro qui Graece scripsit					
Iulio Basso qui item					
Antonio Castore	166		9	51	
M. Varrone . .		om.	om. sed laudatur 24.	14	om.
Cornelio Celso .					132
Fabiano . . .	62		om?		

Graecorum libro XX Pythagorae et Nicandri eadem fere condicio est, quae Celsi et Castoris; Anaxilaus in reliquis libris in fine adscriptus. Ceterum inde a libro XXI duplex scriptorum series distinguenda est, naturae curiosorum et poetarum, quarum utrique suus ordo.

EXTERNIS	XX	
Democrito . .	?	19. 28. 149
Theophrasto . .	5	
Orpheo . . .	32	
Menandro qui βιόχρηστα scripsit	252	
Pythagora . .	—	78.101.134.192.219.236
Nicandro . . .	—	25. 258

EXTERNIS	XXI		XXII	XXIII	XXIV	XXV	XXVI	XXVII
Theophrasto . .	13	103				14. 69	99	63
Apollodoro	[om.	—	—	—]				
Democrito . .	62				156. 160	13. 14	19	141
Iuba	[om.	—	—	—	—]	14.77.78	om.	om.
Aristogitone . .	[om.	—	—	—	—	—	—]	31
Orpheo . . .						12		
Pythagora . .	109		(20)		116.156.158–9	13		
Magone . . .	109							
Menandro qui βιόχρηστα scripsit				159			104	
Nicandro . . .	183		31.67.77					
Homero . . .	14	34.109.159	55	41	65	11. 13. 26. 27.77.127		[omittuntur]
Hesiodo . . .	14	108. 145	67.73.86	42		12		
Musaeo . . .	44	145				12		
Sophocle . . .	153		71					
Xantho . . .	[om.	—	—	—	—]	14		
Anaxilao . . .						154		

Medici libro XX ita sunt dispositi, ut eorum ordo fere exemplo esse possit: nam quamquam § 19 Ophelion, Heraclides, Hicesius non nominantur, tamen consuluisse eos Plinium probabile fit e verbis, quae proxime antecedunt: „rapi semen proditur a multis antidoti vim habere. . . .“ Item § 84: „Graecorum quoque opiniones iam et Catonis causa poni convenit“, singulis tantum eorum nominatim allatis. Xenocrates secundis curis debetur. — Qui inde a lib. XXI indicis initio adduntur, item solito ordine laudantur; neque desunt in iis, qui lib. XXII adiciantur. — Praxagoras in indice lib. XXIII casu excidisse videtur; contra Dalion, qui inde a lib. XXIV, Sosimenes qui inde a XXVI omittitur, fortasse a Plinio ipso his in libris neglecti sunt.

MEDICIS		XX	XXI	XXII	XXIII	XXIV	XXV	XXVI	XXVII
Hippocrate .	?	27. 48. 51. 86. 139.140.163. 220.230. 252		34. 72. 77.136		147	40	11.82.123. 158	
Chrysippo .	17	78.93.111.113. 119		83				11	
Diocle . .	19	34.52.106.139. 140.219.255	61.680	131	27	185		11	
Ophelione .	?	34		80					
Heraclide .	?	34. 193		18					
Hicesio . .	?	34		40					31
Dionysio Apollodoro Citiense .	25	86	116	19. 31. 59		167			
Apollodoro Tarentino	25								
Praxagora .	26	52. 66						11	
Plistonico .	26	122							
Medio . .	27								
Dieuche .	31	78. 191			60	145			
Cleophanto	31					145		14	
Philistione .	31	86. 122							
Asclepiade	42			53. 128	32.38.61		6	12.16.20	
Crateua . .	63			75		167	8.62		
Petronio Diodoto . .	77	120				145	110		
Iolla . .	?	187. 198							
Erasistrato .	85	102. 200		80. 88		77	72	11	
Diagora .	?	198. 200							
Andrea . .	?	200		120					
Mneside .	?	203							
Epicharmo .	89	94							
Damione .	103								
Dalione . .	191					187			

		XX	XXI	XXII	XXIII	XXIV	XXV	XXVI	XXVII
Sosimene .	192								
Tlepolemo .	194								
Metrodoro .	214						8		
Solone . .	220								
Lyco . .	220	235							
Olympiade Thebana .	226								
Philino . .	247								
Petricho .	258								
Miccione .	258			83					
Glaucia . .	263		174	(77).98		142			
Xenocrate .	—	155. 218. 227	181	72. 87					89

Inde a libro XXI initio indicis adiciuntur

	XXI	XXII	
Mnesitheo . .	12		
Callimacho . .	12	88	XXV, 168; XXVI, 82
Phania physico .		35	
Simo	153	72	
Timaristo . . .	180		

Inde a lib. XXIII Timaristus ante Simonem ponitur; XXVII omittitur Phanias.

Libro XXII praeterea adduntur:

Chrysermo	71
Eratosthene	86
Alcaeo	86

Praeterea qui non sunt in indicibus, enotavi:

Euenor . . .	XX, 187. 191; XXI, 180
Mucianus . . .	„ 32
Apollophanes .	XXII, 59
[Glaucon . . .	„ 77]
Aristophanes .	„ 81
Dorotheus . .	„ 91
Agathocles . .	„ 90
Cleemporus . .	„ 90; XXIV, 159
Plato	„ 111

Theodorus . .	XXIV, 186
Aeschylus . .	XXV, 11
Herophilus . .	„ 15. 58; XXVI, 11. 14
Themison . . .	„ 58. 80
Servilius Democrates . . .	XXV, 87
M. Caecilius . .	XXVII, 4

Ophelionis nomen Harduino debetur. Est enim in codicibus: XX *Ophlone* RTa *Ophlo* d. *Opione* Barb. XXI *hopinione* V. *Ophione* T. *Opione* R. *Hopione* ad. XXIII *hopione* vel *olone* codd. Praeterea XX, 34 *Opion* d. *Opinion* Θa; XXII, 80 *Opion* d. *Opinion* ΘRV, unde in textum Silligius recepit *Opion*. Sed certe idem nomen in textum recipiendum, quod est in indicibus. Quod quale sit, vix diiudicandum. *Opinion* non est graecum nomen; *Opion* vero haud ita facile in *Opinion* corrumpi poterat; quare fortasse *Ophion* scribendum. — *Miccione* codd. lib. XX ind. eoque ducunt et § 258 et in reliquorum quoque librorum indicibus; quod nomen legitur etiam apud Lucianum Zeux. 8. Quare cum apud Schol. Nicand. Ther. v. 617 pro Μίκτων potius Μικκίων, quam apud Plinium *Mictone* scribendum esse mihi videretur, nunc in Henrici Keilii scholiorum illorum editione ex melioribus codicibus prodit scriptura Μικίων, quae nominis forma fortasse apud Plinium quoque restituenda est. — L. XXII, 77 pro *Glaucone* recte videtur Harduinus coniecisse *Glaucia*.

Liber XXVIII.

Si, quos in indicis extrema parte habemus, in opere retractando adscriptos esse censemus, sat bene omnia procedunt.

EX AVCTORIBVS

M. Varrone . .	?	21. 57. 60
L. Pisone . . .	14	
Fabiano . . .	?	54
Valerio Antiate		
Verrio Flacco .	18	
Catone censorio	21	260
Servio Sulpicio	26	
Licinio Macro		
Celso		
Massurio . . .	142	
Sextio Nigro qui Graece scripsit	?	120. 131
Bytho Durracheno	—	82
Rabilio medico .	—	75
Opilio medico .	—	38
Granio medico .	—	42

EXTERNIS

Democrito . .	7	57.112.113.118.153
Apollonio qui μύρωσιν . . .	7	
Meleto . . .	7	
Artemone . . .	7	
Sextilio Antaeo	7	
Homero . . .	21	
Theophrasto . .	21	54. 57
Lysimacho		
Attalo	24	
Xenocrate		
Orpheo qui ἰδιοφυῆ	34	43
Archelao qui item	34	43
Demetrio . . .	?	64
Sotira	?	83
Laide	?	81. 82
Elephantide . .	?	81
Salpe	38	82. 262
Olympiade Thebana	?	246. 253
Diotimo Thebano	?	83
Iolla		
Andrea		
Marcione Zmyrnaeo	38	
Aeschine medico	44	
Hippocrate . .	?	56
Aristotele . .	54	74
Metrodoro Scepsio	78	
Icetida medico .	83	
Apelle medico .	120	
Hesiodo . . .	?	69
Dalione . . .	?	(262)
Caecilio Bione qui περὶ δυνάμεων	200	
Anaxilao . . .	—	181
Iuba		

Mucianum si § 29 laudatum deprehendimus, pro *Licinio Macro* scribendum esse *Licinio Muciano* probabilis suspicio nascitur. Sed obstat, quod et sequentibus libris, qui sunt „de medicinis ex animalibus" eiusdem Macri mentio repetitur. — Rabirium, quamquam omissum in indice ab omnibus codicibus praeter V, ubi *Rabilio*, reposui ex ipsius libri § 75. — *Meleto*, quod pro *Mileto* in indice scribendum videbatur Silligio, ipse recepit § 7. — *Sextilio Antaeo* coniunxi ego, ratione potissimum habita ordinis, quo § 7 laudantur scriptores; unde tollitur offensio, quam merito Romanum nomen Graecorum indici insertum praebuit Harduino in indice auctorum. Eodem modo *Caecilio Bione* coniungendum esse docet § 200. — *Dalione* cum recte sit in indice, ita cum Harduino etiam § 262 scribendum erit, ubi libri quidem offerunt: *Bialcon* VR. *Diacon* Ta. *Dialcon* Pint.

Libri XXIX et XXX.

Difficultates quas Romanorum libri XXIX index offert, quomodo sint solvendae, coniectura assequi vix licet, eam maxime ob causam, quod Plinius ipse solito negligentior in illo conficiendo videtur versatus esse. Catonem enim, quem laudat quoque

uti se confitetur (cf. § 13—28), ne nominat quidem in indice; item omittit Senecam et Virgilium, quorum in textu § 10 et 28, fit mentio. Ita Ovidius, qui est in indice lib. XXIX, non est lib. XXX, laudatur eo ipso § 33. Accedit quod prooemia utriusque libri composita videntur mori potius ut satisfieret, quam ob rei necessitatem, ut facile postea additi esse possint. Deinde vero etiam quae sunt lib. XXIX de lana et ovis post praefationem usque ad § 58, a reliqua libri parte quae est de „remediis ex animalibus“, quodam modo seiunguntur. Quare si § 59 dicit Plinius: „Nunc ad instituti ordinem pergemus“, si deinde quos certe primarios auctores hoc libro habere debuit (cf. indicem l. XXX.) Varronem 65, Nigidium (? 59; cf. cap. II), 69, Ciceronem 60, Sextium Nigrum 76, Caecilium 85 secundum indicis ordinem laudatos deprehendimus, hanc ipsam aliquando primam libri partem fuisse conicere licet; cui cum postea, quae indicavi, anteponerentur, videtur Plinius annalistarum reliquorumque illorum scriptorum nomina indici quidem non adscripsisse, sed inseruisse, verum non ea qua par erat diligentia.

Liber XXIX.

EX AVCTORIBVS			EXTERNIS			MEDICIS		
M. Varrone .	65	106.—4	Homero .	28		Botrye		
L. Pisone			Aristotele			Apollodoro		
Verrio Flacco			Orpheo			Archedemo		
Antiate			Palaephato			Aristogene		
Nigidio . .	(?59)	69. 138	Democrito .	72		Xenocrate		
Cassio Hemina	—	12	Anaxilao			Democrate		
Cicerone . .	60	92				Diodoro . .	142	
Plauto . . .	—	58				Chrysippo phi-		
Celso						losopho		
Sextio Nigro qui						Oro		
graece scripsit	76					Nicandro		
Caecilio medico	85					Apollonio Pi-		
Metello Scipione						tanaeo	—	117
Ovidio poeta								
Licinio Macro								

Lib. XXX.

EX AVCTORIBVS			EXTERNIS			MEDICIS		
M. Varrone	28		Eudoxo . .	3		Botrye		
Nigidio			Aristotele .	3		Oro	(?5)	145
M. Cicerone			Hermippo .	4		Apollodoro		
Sextio Nigro qui			Homero . .	5		Menandro . .	7	
Graece scripsit	92		Apione . .	(?6)	18. 99	Archedemo		
Licinio Macro			Orpheo . .	7		Aristogene		
			Democrito .	9		Xenocrate		
			Anaxilao .	—	74	Diodoro		
						Chrysippo . .	103	
						Nicandro . .	—	85
						Apollonio Pi-		
						tanaeo		

Oro, quam scripturam pro *Horo* Silligius recepit XXX, 145, reposui et in indicibus reponendamque censeo etiam XXXVII ind. et 138.

Libri XXXI et XXXII.

De his libris una dicendum ob Graecorum auctorum indices. Eorum enim qui altera indicis lib. XXXI parte laudantur, cum nemo hoc ipso libro nominatim referatur, eius rei causam aperit index lib. XXXII cum ipsius libri textu collatus. Inde enim apparet, lib. XXXI indicem antea utrique libro inservisse. Miro enim modo ordo scriptorum posteriore libro laudatorum (si unum Sallustium Dionysium excipias) ipsi prioris libri indici convenit. Magnam vero negligentiam cum Plinius in eo prodat, quod dimidiae tantum eorum partis in posteriore indice rationem habet, minus mirabimur quod et in Romanorum indice insunt quae offendant.

Lib. XXXI.

EX AVCTORIBVS

M. Varrone .	9	11.15.21. 26.89
Cassio Parmense	11	
Cicerone . .	12	51
Muciano . .	16	19
Caelio . . .	21	
Celso		
Trogo . . .	(? —)	131
Ovidio		
Polybio . .	(? —)	131
Sornatio		

EXTERNIS

			Indicem vero antecedentis libri si spectamus, sic se habent:
Callimacho .	9		
Ctesia . .	9	21.25	
Eudico . .	13		
Theophrasto	13	17.19.26. 83.106	
Eudoxo . .	16		
Theopompo	16	17. 26	
Polyclito .	17		
Iuba . . .	18		10
Lyco . .	17	26	
Apione . .	22		19
Epigene .	34		
Pelope			43
Apelle			43
Democrito . . .			49
Thrasyllo . . .			55
Nicandro . . .			66
Menandro comoedo			69
Attalo			87
Sallustio Dionysio			80
Andrea			87
Nicerato			101
Hippocrate . . .			131
[Salpe			140]
Anaxilao			141

Lib. XXXII.

Licinio Macro	9	14
Trebio Nigro	15	
Sextio Nigro qui graece scripsit	26	
Ovidio poeta .	11	152
Cassio Hemina	20	
Maecenate		
Iaccho		
Sornatio	68	

EXTERNIS

Iuba . . .	10	
Andrea . .	?	87
Salpe . .	?	140
Apione . .	19	
Pelope . .	43	
Apelle . .	43	
Thrasyllo .	55	
Nicandro .	66	

Polyclito pro *Polycrito* restitui e codicibus. Accedit quod eadem codicum constantia etiam § 17 (ubi Silligius *Polycritus*) illud nomen redit in mentione rerum Asiaticarum, de quibus Polyclitum, non Polycritum scripsisse supra significavimus.

Lib. XXXIII.

Non idem huius indicis in codicibus ordo; nos Bambergensem secuti sumus, nisi

quod Romanis inseruimus Antiatem et Verrium, in fine vero adiunximus Xenocratem e. q. s., qui librariorum negligentia videntur omissi. Facili autem opera distinguuntur inter Graecos tres scriptorum classes: qui de naturali historia proprie dicta scripserunt, Theophrastus, Democritus, Iuba; medici a Timaeo usque ad Apollodorum; reliqui qui de artis (caelaturae) operibus egerunt; estque differentiae codicum (si minora omittimus) haec summa, quod hi ipsi in nonnullis ante medicos ponuntur. Quod non sine veri quadam specie fieri inde coniicere licet, quod inter Romanos quoque medici agmen claudunt. Nam quod in nonnullis codd. Marsum poetam Fabiumque Vestalem in fine positos invenimus, id ita explicandum, ut cum in proximo libro eis usus esset Plinius, huic indici postea adderet aut ipse, aut qui post eum retractavit indicem.

De singulis ob codicum inconstantiam minus certum iudicium. Nam cum Bambergensis Iunium Gracchanum recte ante L. Pisonem ponat, Mucianum reliqui rectius ante Licinium Calvum collocare videntur, si quae de Lindia Minerva § 81 referuntur, recte e Muciano desumpta esse coniicimus.

EX AVCTORIBVS

Domitiano Caesare		
Iunio Gracchano .	36	
L. Pisone	38	
Antiate		
Verrio . . (? 10)	(? 42)	63. 111. (? 112)
M. Varrone . . .	51	85. 136. 154
Corvino		
Attico Pomponio		
Calvo Licinio . .	140	
Cornelio Nepote . .	145	
Muciano		
Boccho		
Fetiale		
Fenestella	—	21. 146
Valerio Maximo		
Iulio Basso qui de medicina Graece scripsit		
Sextio Nigro qui item		
[Marso poeta		
Fabio Vestale]		

EXTERNIS

Theophrasto . . .	113. 126
Democrito	
Iuba	118
Timaeo historico qui de medicina metallica scripsit . .	43
Heraclide	
Andrea	
Diagora	
Botrye	
Archedemo	
Dionysio	
Aristogene	
Democle (vel cede)	
Mneside	
Attalo medico	
Xenocrate item	
Theomnesto	
Nymphodoro	
Iolla	

Apollodoro
Pasitele qui mirabilia opera scripsit
Antigono qui de toreutice scripsit
Menaechmo qui item
Xenocrate qui item

Duride qui item
Menandro qui de toreutis
Heliodoro qui de Atheniensium anathematis scripsit
Metrodoro Scepsio

Liber XXXIV.

Est index libri antecedentis breviatus nec magna cura confectus: omittitur enim Mucianus, quamquam in textu § 36 laudatur; item Annius Fetialis, qui § 29.

EX AVCTORIBVS

L. Pisone	14	29. 30
Antiate	15	
Verrio		
M. Varrone . . .	56	
Cornelio Nepote		
Messala Rufo . . .	137	
Marso poeta		
Boccho		
Iulio Basso qui etc.		
Sextio Nigro etc.		
Fabio Vestale		

EXTERNIS

Democrito	
Metrodoro Scepsio .	34

Menaechmo qui de toreutice scripsit .		(80)
Xenocrate qui item .		(83)
Antigono qui item .		(84)
Duride qui item .	61	
Heliodoro qui etc.		
Pasitele etc.		
Timaeo qui etc.		
Nymphodoro . . .	104	
Iolla	104	
Apollodoro		
Andrea		
Heraclide		
Diagora-Mneside		
Xenocrate Zenonis		
Theomnesto		

Liber XXXV.

EX AVCTORIBVS

Messala oratore . .	8	
Messala sene . . .	8	
Fenestella	(? 10)	162

Attico	11	
M. Varrone . . .	11	112. 136. 147. 154. 115. (160. 173)
Verrio		

Nepote Cornelio . .	16	
Deculone	70	
Muciano	163	
Melisso		
Vitruvio	(170)	
Cassio Severo . .	—	164
Longulano		
Fabio Vestale qui de pictura scripsit		

EXTERNIS

Pasitele		
Apelle . . . (42)	79	(111)
Melanthio		

Asclepiodoro	
Euphranore . . .	129
Heliodoro qui ἀναθήματα Athenis scripsit	
Metrodoro qui de architectonice .	(135)
Democrito	
Theophrasto	
Apione grammatico .	88
Timaeo qui de etc.	
Nymphodoro – Theomnesto (ut lib. XXXIIII).	

Hic Silligius Harduino Weichertoque (de Vario et Cassio p. 191) praeeuntibus interpunctionem, quae in B. aliisque codd. est ante *Longulano*, delet, ut Cassius exstet patria Longulanus. Sed primum notandum, de Cassii patria nihil nobis innotuisse. A Cassio vero Parmensi cum iam ipso Severi cognomine distinguatur, ut patriae mentio non postuletur, gravior mihi videtur Bergkii observatio (ap. Ritschelium parerg. Plaut. I, 40) „nunquam Plinium in his quidem indicibus simul nomen, praenomen et cognomen cuiusque scriptoris iunxisse, verum aut unum tantum posuisse aut certe binarium nominum numerum non excessisse". Neque valet contra hanc observationem, quod ignotus plane aliquis Longulanus scriptor: id enim in complures auctores cadit Plinio laudatos, ut. e. g. in Fabium Vestalem, qui Longulanum in indice excipit. — De Timaeo vid. ad lib. V.

Liber XXXVI.

EX AVCTORIBVS

M. Varrone . . .	14	17. 39. 40. 91. 135. 202
C. Galba		
Cincio		
Muciano	?	131. 134
Nepote Cornelio . .	48	59
L. Pisone		

Q. Tuberone		
Fabio Vestale		
Annio Fetiale		
Fabiano	125	
Seneca		
Catone Censorio . .	?	174
Vitruvio		

EXTERNIS

Theophrasto . . .	?	132. 134. 156
Pasitele	39	
Iuba rege	?	163
Nicandro	?	127
Sotaco	?	127. 146
Sudine	59	
Alexandro polyhistore	78	
Apione Plistonico .	78	
Duride	78	
Herodoto	78	84
Euhemero	78	
Aristagora . . .	78	
Dionysio	78	
Artemidoro . . .	78	
Butorida	78	
Antisthene	78	
Demetrio	78	
Demotele	78	84
Lycea	84	

C. Galba pro *Caelio*, *Galba* e cod. B restitui, cum Galbae, imperatoris avo, „clariore studiis quam dignitate", qui „multiplicem nec incuriosam historiam edidit" teste Suetonio (Galb. 3), C. praenomen fuisse Borghesius e fastis Lucerinis demonstraverit (Ann. dell' Inst. XX. p. 255).

Liber XXXVII.

EX AVCTORIBVS

M. Varrone . . .	11	
actis triumphorum .	12	
Maecenate		
Iaccho	?	148
Cornelio Boccho .	24	97. 127

EXTERNIS

Iuba rege	24	69. 108. 114
Xenocrate Zenonis .	25	26. 27. 36. 40. 173
Sudine	25	34. 90. 114. 133
Aeschylo	31	32
Philoxeno	31	
Euripide	31	32
Nicandro	31	102
Satyro	31	90. 94
Theophrasto . . .	33	53. 74. 97. 193
Charete	33	
Philemone . . .	33	36. 106
Demostrato . . .	34	85 86
Zenothemi . . .	34	86. 87. 90. 134
Metrodoro . . .	34	61. 178
Sotaco	35	86. 90. 135. 158
Pythea	35	
Timaeo Siculo .	36	
Nicia	36	
Theochresto . .	37	
Asaruba	37	
Mnasea	38	
Theomene . . .	38	
Ctesia	39	
Mithridate . . .	39	
Sophocle . . .	40	
Archelao rege .	46	94. 104. 107

Callistrato	50	94	
Democrito	69	146. 149. 160. 185	
Ismenia	86	101	
Olympico			
Alexandro polyhistore			
Apione . . .	75	?	
Oro		138	
Zoroastre . .	(133)	150	157. 159
Zachalia		169	

Ab hoc novissimo libro cum in tota hac investigatione instituenda profectus essem, ab initio quae eius auctoritas esset incertum videbatur. Ultima enim Pliniani operis pars cum sit edita post ipsius mortem, poterant certe indices quoque horum librorum post mortem esse confecti, ut quae horum propria essent, in reliquos prorsus non caderent. Sed hunc quoque indicem Plinio ipsi deberi argumento est, quod qui in eo recensentur Olympicus et Alexander polyhistor, in textu non laudantur; qui in textu sunt Apollonius (32), Catullus (81), Menander (106), desunt in indice. Quare quam egregie hoc ipso libro tota mea de indicum dispositione sententia confirmetur non est quod fusius demonstretur. Huius ergo exempli auctoritati ita insistendum esse putavi, ut, ubi quae offenderent deprehendissem, non continuo spem abiiciendam, sed causas indagandas esse censerem, ad quas offensio ipsa esset revocanda. Quod quo eventu fieri possit, iam omnium librorum recensu instituto proposui, ita ut de singulis quidem in diversas fortasse partes disputare liceat, quod vero summum erat, satis mihi probasse videar.

CAPUT II.

Iam constituto hoc fundamento, alteram ei huius commentationis partem superstruere licet, quae est de collectionibus quibusdam scriptorum sive pandectis, quibus Muellerus Plinium in opere suo conscribendo usum esse recte perspexit. Quam disputationem a Plinii ipsius verbis exordiar in praefatione (§ 17) positis: „Viginti milia rerum dignarum cura (quoniam, ut ait Domitius Piso, thesauros esse oportet, non libros) lectione voluminum circiter duum milium, quorum pauca admodum studiosi attingunt propter secretum materiae, ex exquisitis auctoribus centum inclusimus triginta sex voluminibus, adiectis rebus plurumis quas aut ignoraverant priores aut

postea invenerat vita.“ Sunt vero qui in indicibus recensentur scriptores plus quadringenti. Quod ea tantum ratione expedias, ut Plinium iis ipsis verbis centum illos exquisitos distinguere voluisse existimemus a reliquorum multitudine quasi gregariorum militum, qui non singuli, sed in cohortes dispositi in subsidium vocantur. Quare in disputatione, quam instituemus de collectionibus scriptorum, Plinium ipsum gravissimum habemus auctorem: sunt enim gregarii isti maximam partem ii ipsi, quorum libri vel integri vel in epitomen coacti ab aliis expilati iam ante Plinium collectionibus sive corporibus quibusdam secundum materias dispositi comprehendebantur.

De quibus quae profert Muellerus loco supra indicato haec sunt: „Collectos illos scriptores ex ordine litterarum, quae eorum nominum primae sunt, Plinius recenset. Duo inde corpora confecta erant, alterum quod scriptores, quorum patria nota erat, comprehenderet, alterum eorum, quorum de patria non constabat. Utrumque cum etiam Varro de R. R. I, 1 adhibuerit, elenchi Pliniani ll. VIII. X. XIV. XV. XVII. XVIII. eo certius restitui poterunt. Sed Plinius ex utroque corpore eos scriptores omisit, quorum nomina ex alphabeti ordine posteriora erant, quod cur fecerit non intelligo, nisi si diligentia eius in excerpendis his corporibus fatigata, antequam ad metam perveniret, elanguit.“ Quae ut scripta sunt eo laborant vitio, quod de collectionibus universis adfirmant, quae ad unam tantum earum, *geoponicorum* scilicet, spectant. Neque eo quod catalogum ex Varrone desumptum esse recte vidit Muellerus, absoluta est quaestio de ratione qua iis usus sit Plinius. Quae paullo accuratius pertractanda videtur. Si enim inspexeris librorum a Muellero commemoratorum indices, in omnibus reperies extra ordinem Varroniani catalogi laudatos Aristotelem, Democritum, Theophrastum, iique ipsi in textu librorum saepius citantur. Reliquos si perlustramus, tradit quidem Plinius XVIII, 224, sementibus tempora praesumere Xenophontem „non antequam deus signum dederit“; sed hoc non ex ipso Xenophonte, sed e Cicerone, qui eius de agricultura librum in latinum sermonem vertit, desumptum esse facile crediderim ob verba, quae sequuntur. „Hoc Cicero Novembris imbre fieri interpretatus est . . .“ Tradit porro XVII, 242, ostentis arborum Aristandri volumen scatere, sed in huius libri indice idem Aristandrum ipsum extra ordinem Varroniani catalogi recenset. Praeterea de Euphronio proditum habemus, condidisse eum de adparatu vini praecepta XIV, 120; de Amphilocho, composuisse de medica et cytiso volumen XVIII, 144; de Xenophonte, scripsisse de cultura agri XVIII, 22. Sed haec sunt argumenta librorum; libros ipsos de singulis rebus se consuluisse ex iisque excerpta operi suo inseruisse, nusquam disertis verbis Plinius indicat. Reliquorum autem omnium, qui in indicibus secundum ordinem Varronianum enumerantur, in libris ipsis ne nomen quidem occurrit

uno excepto Magone, cuius maxima non apud Plinium solum, sed omnino apud Romanos auctoritas videtur fuisse. Quod casu factum esse cum nemo facile sibi persuaserit, nasci suspicio possit, Plinium ostentationis causa auctorum nomina e Varrone exscripta indicibus suis inseruisse, quorum libros ne obiter quidem inspexisset. Sed tamen severius hoc quam verius: nec enim, si hoc fuisset animo, plus quam quartam horum nominum partem omisisset. Fluctuant deinde aliqua certe ex parte singulorum librorum indices, ita ut unum alterumve nomen aut addatur aut omittatur, quod ita explicandum videtur, ut aliquorum scriptorum, qui de singulis quibusdam rei rusticae capitibus egissent, Plinio visum sit non in omnibus libris rationem habendam esse. Denique quod librorum supra laudatorum Aristandri, Euphronii, Amphilochi, Xenophontis (quibus ex indicibus addendi Androtionis, Aeschrionis, Lysimachi de agricultura scripta) argumenta significantur, quorum apud Varronem mentio nulla fit, id quidem fidem facit, Plinium non ex solo Varrone illorum notitiam hausisse. Quae omnia si animo recoluerimus, sic esse statuendum videtur: Plinium, cum in legendo Varrone in catalogum istum incidisset, obiter quidem scriptorum ibi commemoratorum libros inspexisse ob eamque causam nomina quoque indicibus suis inseruisse, sed attentius perlustrare supersedisse, cum quae in rem suam facere viderentur, iam a Varrone et Columella, qui iisdem fere auctoribus usus erat (cf. Col. I, 1, 7 sqq.), enotata invenisset. Neque de hoc leviore Plinianorum studiorum genere deest grave iunioris Plinii testimonium in epist. III, 5, 11: „Super cenam liber legebatur, adnotabatur, et quidem cursim“, vel ib. 15: „in itinere . . ad latus notarius cum libro et pugillaribus . . .“. Huiusmodi igitur libri, qui non ad condendum, sed ad supplendum opus aliquam posse utilitatem afferre videbantur, fuisse putandi sunt, qui in cena aut in itinere, et quidem cursim, legebantur. Ita autem cum fidem et auctoritatem indicibus Plinii non derogemus, simul tamen confitendum est, vanam spem fore, si quis ad cognoscendam horum scriptorum naturam e Plinii libris supra citatis magnum percipi fructum posse arbitretur.

Et haec quidem de geoponicorum catalogo. A quo si exemplum repetimus, videtur Plinii in componendo opere ea ratio fuisse, ut, si fieri posset, a Romano aliquo quodam scriptore proficisceretur, et eius quidem generis scriptore quod ipse maxime admiraretur, h. e. a. docto et varia eruditione abundante, a quo deinde ad alios, Graecos maxime, qui illi ipsi auctores fuerant, facilis via pateбat. Quam sententiam ut exemplis comprobemus, utemur maxime iis, quae de indicum dispositione antea disputavimus. Eorum enim quanta auctoritas sit, ipse geoponicorum catalogus docet. Etenim is ipse libro VIII sequitur post Phylarchum, qui laudatur § 158; unde geoponicorum usum spectare ad capita quae sunt de equis, asinis e. q. s.

inde a § 163, probabiliter affirmare licet. Deinde si ad Romanorum indicem nos convertimus, post Vergilium § 162 laudatum sequitur Varro. Quare etiam si Varronis de re rustica libri intercidissent, non sine probabilitate geoponicorum catalogum e Varrone derivatum esse ex indicis dispositione coniici poterat.

Eiusdem rationis nunc alterum exemplum proponam, minoris quidem illud momenti, sed quod geoponicis apte subiungatur. Lib. XI, 11—70 agitur de apibus, suntque in indice auctores Graeci quos μελιτουργικὰ scripsisse Plinius affirmat, eorumque nonnulli in ipso libro laudantur. Quos ipsos exscribere poterat quidem Plinius; sed eodem fere modo quo geoponicos hos quoque cum consuluisse inde probabile fit, quod in Romanorum indicis principio post Varronem *Hyginus* laudatur, qui de apibus „veterum auctorum placita secretis dispersa monimentis industrie collegit" teste Columella IX, 2, 1, quibus cf. ib. § 2: „ea quae Hyginus fabulose tradita de originibus non intermisit"; 11, 5: „Hyginus quoque auctoritatem Graecorum sequens negat. . ."; 13, 3: „Hyginus antiquos secutus autores"; 13, 8: „Hyginus quidem in eo libro, quem de apibus scripsit, Aristomachus, inquit . . . . ". Praeter Neoptolemum vero, Aristomachum, Philiscum, qui μελιτουργικὰ scripserunt, „Aristoteles in iis libris, quos de animalibus conscripsit, apum sive examinum genera complura demonstrat. ." (Col. IX, 3, 1); Democritus et Mago „progenerari posse apes iuvenco perempto" prodiderunt (ib. 14, 6); „Cretae Saturni temporibus" natas esse apes tradidit Nicander (ib. II, 4); duo genera ducum in apibus esse scribit Menecrates (Varro de r. r. III, 16, 18). Quare in indice Pliniano scriptorum de apibus collectionem agnoscimus, quae certe ab Aristotele pertinuit usque ad Dionysium, Magonis interpretem, cui vero praeterea Empedocles, Callimachus, Attalus adscribendi videntur. Quam si ex Hygino cognovisse Plinium contendo, non levis sententiae meae auctoritas inde nascitur, quod libro XIII, ubi de cytiso, apto apum pabulo, sermo est, ex ipsa hac collectione Aristomachus et Democritus (§ 130 et 131), paulo vero post (134) Hyginus laudatur.

Transeo ad *medicos*, quorum nomina nulla fere singulorum librorum discrepantia inter auctores libr. XX—XXVII recensentur. Quos singulos perlegisse Plinium vix quisquam credet. Sed tamen cum libro XX ad unum omnes in textu referantur, hos quoque in corpus quoddam redactos Plinium tractasse fortasse erit cui parum probabile videatur. Quare ad Romanorum indicem recurrendum erit, in quo tertium post Catonem et Varronem locum occupat *Pompeius Lenaeus*, grammaticus quidem, sed etiam de medicina optime meritus. De Mithridate enim loquens Plinius haec tradit (XXV, 7): „Is ergo in reliqua ingeni magnitudine medicinae peculiariter curiosus et ab omnibus subiectis qui fuere magna pars terrarum singula exquirens scrinium commentationum harum et exemplaria effectusque in arcanis suis reliquit, Pompeius autem omni regia praeda potitus transferre ea sermone nostro libertum suum Lenaeum grammaticae artis iussit vitaeque ita profuit non minus quam reipublicae victoria illa." Quae verba, si quid video, non de bibliotheca omnium de re medica scriptorum, collectorum a Mithridate, intelligenda sunt, quos transferre non unius hominis fuisset, sed interpretanda potius de collectione excerptorum ad vim et effectum medicinarum spectantium, quam materiam medicam dicunt. Haec igitur plurimorum scriptorum excerpta si manibus versabat Plinius, ratio, cur tot eorum nomina in textu laudentur, prorsus manifesta est. Lenaeus vero cum nec ipse nec medicorum illorum catalogus ultra librum XXVII (lib. XIV et XV enim nullus fere eius usus) citetur, excerpta ad ea tantum medicamenta, quae ex herbis parantur, videntur spectasse.

Alterum medicorum catalogum habemus in indicibus librorum XXIX et XXX, qui de „medicinis ex animalibus" agunt. De quo quamquam minus certum iudicium est, tamen coniecturae locus non denegabitur. Primarios enim hoc libro inter Romanos auctores Plinium habuisse Varronem, Nigidium, Sextium Nigrum iis, quae de indicum dispositione supra disputavi, satis demonstratum esse spero. Quos omnes constat e Graecorum litteris plurimum profecisse. Sed e Sextio Nigro externorum medicorum notitiam derivatam esse cum iam propterea minus probabile sit, quod tertium locum occupat, accedit quod aliam medicorum collectionem, de qua postea, ad eum referendam esse censemus. Varroni autem praeter cetera praefationis libri XXIX partem debere Plinius videtur, quae est de historia medicinae; quando argumentum librorum ipsum a Varronis studiis paullo videtur alienius. Contra qui restat Nigidius de animalibus scripsit, et ita quidem scripsit, ut eum vel ducem et magistrum secutus esse videatur Plinius. Magicas enim „vanitates" quamvis in ipso lib. XXX initio irrideat, tamen in singulis rebus enarrandis saepissime iis locum concedit. His vero ipsis Nigidium valde fuisse deditum abunde demonstravit Martinus Hertz (de Nigid. p. 27 sqq.), qui nec in libris de animalibus „a magicis rationibus omnino eum abstinuisse" ex ipsis fragmentis a Plinio servatis recte collegit (p. 43). Ea vero quae his libris ad externos auctores a Plinio referuntur, fere omnia eiusdem sunt generis saepiusque magorum mentio redit, quorum doctrinam conicere licet Ori Assyrii scriptis uberrime expositam fuisse. Menander autem ob harum ipsarum rerum scientiam inter medicos relatus videtur (cf. XXX, 7). Quae si animo reputamus, fortasse haud ita levis videbitur coniectura, qua e Nigidii libris Graecorum illorum notitiam hausisse Plinium probare conati sumus.

Tertius medicorum catalogus est in indicibus lib. XII et XIII ab Apollodoro usque ad Xenocratem, qui idem paullo aliter dispositus et amplificatus redit lib. XXXIII—XXXV. Quae ipsa repetitio primum argumento esse potest, non singulos hos scriptores sibi elegisse Plinium quos excerperet sed collectos iam antea invenisse; deinde vero eadem etiam ad indagandum auctorem, quem secutus sit, viam aperit: in utrisque enim indicibus is insit necesse est. Collatis igitur inter se Romanorum indicibus, solus qui idoneus sit prodit Sextius Niger, quem in libris, quos de medicina Graece scripsit, de herbis deque materia medica egisse constat.

Praeter has quas dixi reperiuntur quidem aliarum quoque medicorum collectionum vestigia. Ita lib. XXXI et XXXII, quam ex eodem Sextio, lib. XI, quam probabilius fortasse quam ex Nigidio e Trogo derivare quispiam animum inducat. Sed haec cum minus certo nitantur fundamento, ne audacior videar, ulterius nunc quidem persequi desisto. — Lib. XII, 21 Plinius haec scribit: „Nunc eas (arbores) exponemus quas mirata est Alexandri magni victoria, orbe eo patefacto.“ Cui consilio respondet, quod in indice post Herodotum, qui § 17 laudatur, viginti tres enumerantur auctores, qui de rebus Alexandri vel commentarios reliquerint vel occasione data in scriptis quaedam rettulerint. Quorum omnium et hoc et sequenti libro unus Onesicritus semel tantum (XII, 34) memoratur, quodsi singulas res e singulis auctoribus enotasset, horum nomina saepius ponere certe non omisisset. Vnde in promptu est de simili atque in geoponicorum usu ratione cogitare. In Romanorum vero indice post Fabianum, qui XII, 20 laudatur, Statius Sebosus apparet, quem videri commentarium reliquisse de terris longinquis earumque miraculis Vossius ait (de hist. lat. ed. II, p. 722) auctoritate usus Solini (cap. 60 et 55), qui exscripsit Plinium (IX, 46; VI, 201). Quibus accedit ipse Plinius VI, 183 et 202. Hunc igitur Sebosum puto scriptorum illorum in commentariis suis rationem habuisse, indeque Plinium eos indicibus suis inseruisse. Pertinuisse autem Sebosi opus non ad Asiae Indiaeque solum, sed ad Africae quoque Aethiopiaeque regiones minus cognitas satis ex ipsis Plinii locis supra commemoratis apparet. Quorum unum (VI, 183) hic apponam: „Simili modo et de mensura eius (Aethiopiae) varia prodidere, primus Dalion ultra Meroen longe provectus, mox Aristocreon et Basilis, Simonides minor etiam quinquennio in Meroe moratus, cum de Aethiopia scriberet. Nam Timosthenes classium Philadelphi praefectus sine mensura dierum LX a Syene Meroen iter prodidit, Eratosthenes DCXXV mil., Artemidorus DC mil., Sebosus ab Aegypti extremis $\overline{\text{LXVI}}$. LXXV mil. p., unde proxume dicti $\overline{\text{XII}}$. LM. Verum omnis haec finita nuper disputatio est, quoniam a Syene DCCCLXXI mil. Neronis exploratores renuntiavere his modis. . .“ In quibus si post Graecorum complures auctores unum Romanorum Sebosum laudatum reperimus, Plinium quaè ex illis referuntur, ex hoc desumpsisse conicere ob eam quoque causam licet, quod indicis ipsius dispositio ad eandem nos sententiam ducere videtur. Magnam vero Sebosi apud Plinium fuisse auctoritatem ex iis quoque verbis patet, quae sunt de Gorgonum Hesperidumque insulis VI, 201: „adeoque omnia circa hoc incerta sunt, ut Statius Sebosus a Gorgonum insulis prae navigatione Atlantis dierum XL ad Hesperidum insulas cursum prodiderit, ab iis ad Hesperu ceras unius.“ Vbi verba *adeo . . . incerta ut* hanc fere esse proximorum sententiam docent: „ut, qui accuratissime de his regionibus omnia perscrutatus est, Sebosus, vaga dierum indicatione contentus certius quod referat nil habeat.“ Quam interpretationem etiam sequentia § 202 verba confirmant: „Fortunatae insulae, . . . quarum numero idem Sebosus etiam spatia complexus Iunoniam. . .“ Quae mecum reputanti valde dolendum videtur, quod de nonnullorum indicum dispositione, velut lib. V et VII, minus certa ratione constat quam ut haec ulterius persequi liceat. Sunt enim Graeci scriptores, qui lib. II inde ab Onesicrito, lib. V inde ab Hannone, lib. VII ab Herodoto usque ad Artemidorum laudantur, quorum similem atque de rebus Alexandri scriptorum condicionem esse suspicere, quamquam fortasse non ex Seboso, sed e Cornelio Nepote Plinianis indicibus illos insertos esse quaedam indicia monent (cf. II, 169; 170; V, 4).

Geographicorum auctorum eos, quos lib. IV inde a Dosiade Plinius recenset, omnes ad insulas Graeciae Asiaeque spectare priore commentatione demonstravi. De quibus rebus Licinium Mucianum ter consulem auctorem primarium Plinio exstitisse, ipse non semel haud obscure significat. Lib. IV, 77 enim haec scribit: „inter duos Bosporos Thracium et Cimmerium directo cursu, ut auctor est Polybius, DM pass. intersunt. Circuitu vero totius ponti viciens centena L M, ut auctor est Varro et fere veteres; Nepos Cornelius CCCL milia adicit, Artemidorus viciens noviens centena XIX M facit, Agrippa $\overline{\text{XXIII}}$. LX mil., Mucianus $\overline{\text{XXIV}}$. XXV M.“ Item § 66: „Delos . . terrae motum non sensit ad M. Varronis aetatem; Mucianus prodidit bis concussam.“ Porro § 67: „Syros, quam circuitu patere XX mil. p. prodiderunt veteres, Mucianus CLX.“ Adde V, § 132: „Rhodos. Distat ab Alexandria Aegypti DLXXXIII M, ut Isidorus tradit, ut Eratosthenes, CCCCLXIX M, ut Mucianus, D, a Cypro CLXVI“. In quibus quod Mucianus semper ultimo loco memoratur, maxime autem quod „veteres“ ei opponuntur, id in hanc partem valere videtur, ut Mucianus veterum illorum in opere suo condendo vel exscribendo vel emen-

dando corrigendoque rationem habuisse, Plinius vero, ne unius auctoritati sese committere videretur, illorum quoque opiniones rettulisse credatur.

Qui autem hos de insulis scriptores libro IV antecedunt (Polybius — Thucydides), ii omnes fere, quamquam ordine variis modis immutato, redeunt in indicibus librorum V et VI. De quorum dispositione cum minus certum sit iudicium, nec in Romanum inquirere auctorem, quem in iis laudandis ducem habuerit Plinius, nunc quidem opportunum videtur, quamquam qui Varronis Agrippaeque studia geographica accuratius examinaverit, quid statuendum sit fortasse haud ita difficili opera eruet.

Subnectere placet hoc loco, quamquam ad collectiones istas scriptorum non pertinentem, de ultimo geographicorum apud Plinium capite quaestionem, quod incipit lib. VI, 211 his verbis: „His addemus etiamnum unam Graecae inventionis scientiam vel exquisitissimae subtilitatis, ut nihil desit in spectando terrarum situ, indicatisque regionibus noscatur, et cum qua cuique societas sit sive cognatio dierum ac noctium quibusque inter se pares umbrae et aequa mundi convexitas. Ergo reddetur hoc etiam terraeque universae in membra caeli digerentur. Plura sunt autem segmenta mundi, quae nostri circulos appellavere, Graeci parallelos.“ Quae ultima verba indicio esse videntur, Graecam illam inventionem iam ante Plinium a Romano aliquo scriptore fuisse pertractatam. Quare vix casui illud tribuemus, quod in fine Romanorum indicis Nigidium additum, Nigidiumque solum in ipsa inventionis expositione § 217 laudatum reperimus. Praecipuum vero studii quod in astronomia Nigidius collocaverit monumentum libros de sphaera et graecanica et barbarica ab illo editos exstitisse uberius exposuit Martinus Hertz (de Nigid. p. 38 sqq.). Quare Plinium quae de segmentis mundi tradit e Nigidio desumpsisse credo, qui cum ipse in reliquis auctores sequeretur Graecos, tamen „sexta comprehensione, qua continetur urbs Roma,“ Graecorum rationes suis studiis emendare non neglexit.

Ab hac mathematica vel potius astronomica terrarum divisione apte videtur ad „digestionem siderum in dies et noctis terrestris“ transitus fieri, quamquam Plinius quidem illam non tam scientiae, quam „grandi vitae emolumento“ „imperitiae rusticae“ miscendam eoque loco esse inserendam putavit, ubi de rebus in agro agendis et „quid quoquo mense in agro fieri oporteat“ exponitur, i. e. lib. XVIII, 201 sqq. Cuius digestionis difficultatem, „quam sensere etiam periti“, ipse (§ 210 sqq.) disertis verbis effert: „Addidere difficultatem et auctores diversis in locis observando, mox etiam in iisdem diversa prodendo. Tres autem fuere sectae, Chaldaea, Aegyptia, Graeca. His addidit quartam apud nos Caesar dictator annos ad solis cursum redigens singulos, Sosigene perito scientiae eius adhibito. . . Et Sosigenes

ipse trinis commentationibus, quamquam diligentior ceteris, non cessavit tamen addubitare ipse semel corrigendo. Auctores prodidere ea, quos praetexuimus volumini huic, raro ullius sententia cum alio congruente. . . Nos sequimur observationem Caesaris; maxume haec erit Italiae ratio, dicemus autem et aliorum placita, quoniam non unius terrae, sed totius naturae interpretes sumus, non auctoribus positis — id enim verbosum est — sed regionibus.“ Quae quamquam maiorem in his exponendis Plinii diligentiam prodere videntur, tamen ipsum auctores omnes, qui in indice a Thalete usque ad Aratum enumerantur, accuratius pertractasse vix erit qui sibi persuadeat. Quare e Caesare, quem sequi se ipse profitetur, aliorum quoque variam eruditionem Plinium hausisse si forte non improbabilis coniectura videbitur, eadem tamen speciosior quam verior apparebit, si quae de astronomicis illius studiis aliunde nota sunt, animo recollegerimus. Exstant enim apud Macrobium Sat. I, 16 haec quae subiecimus: „Nam Iulius Caesar ut siderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Aegyptiis disciplinis hausit: ita hoc quoque ex eadem institutione mutuatus est, ut ad solis cursum finiendi anni tempus extenderet“; porro apud Iul. Firmicum Mathes. lib. II ineunte haec: „Sed nec aliquis paene Latinorum de hac (siderum) arte institutionis libros scripsit, nisi paucos versus Iulius Caesar, et ipsos tamen de alieno opere mutuatus, item VIII, 5: „Exsecutus est etiam horum siderum numerum Graece Aratus, poeta disertissimus, Latine vero Caesar, et decus eloquentiae Tullius. Sed hi tantum nomina ipsorum et ortus, non autem apotelesmatum auctoritatem ediderunt: ita ut mihi videantur non aliqua Astrologiae scientia, sed poetica potius elati licentia, docilis sermonis studia protulisse.“ Quare ut breviter dicam quod sentio, Caesar primo loco videtur id egisse, ut grandi vitae emolumento calendarii rationes emendaret, quod imperatoris erat; in litteris vero poetica usus licentia sermonis potius quam reconditioris doctrinae studia promere conatus erat, huius ipsius condendae operam Sosigeni perito eius scientiae relinquens. Hunc igitur potius quem de Graecis auctoribus consuleret „addubitantem ipsumque semet corrigentem“, elegisse sibi Plinius videtur. Nec quominus ita statuamus impedit indicis ratio: reciso enim Arato commentatoreque eius Hipparcho, quibus in Romanorum indice respondet Cicero (cf. § 228), Sosigenes inter astronomos novissimum occupat locum, ita ut tum demum, cum ex hoc reliquorum nomina exscripta essent, ipsius nomen videatur ultimum additum esse. Quamquam ne confidentius haec pronuntiem, hoc monet quod in Romanorum indice Caesarem antecedit L. Tarutius, qui graece de astris scripsit. Is enim teste Cicerone (de divin. II, 47) „in primis Chaldaicis rationibus eruditus“ erat. Quae vero ex eo Plutarchus (Romul. 12) profert, nec Aegyptiorum rationes eum neglexisse satis de-

monstrant. Quare si quis hunc potius ducem sibi sumpsisse Plinium contendat, non sine ratione id fieri concedendum est.

Par haesitatio ad eos scriptores spectat, quos de artis historia et operibus laudat Plinius lib. XXXIII—XXXV. Nam Varronis auctoritati in his rebus Plinium, Varronem vero ipsum Graecis plurimum tribuisse satis constat. Neque inter Romanos quidem auctores ullus cui plus deberet Plinius. Sed est inter Graecos ipsos Pasiteles, cui, sive lib. XXXIII et XXXV primum sive XXXIV novissimum, certe nobilem concessit locum inter reliquos nullo certo ordine positos; quem libro quoque XXXVI praeter Iubam solum in indicem refert. Ex huius vero nobilium vel mirabilium operum voluminibus quantum profecerit Plinius, sat probabili coniectura exposuit Otto Iahn (Act. societ. Saxon. 1850, p. 124). Quare etiam si Varronem ad libros de arte ipsa, Pasitelem ad opera potius artis studia convertisse non sine veri quadam specie quispiam dixerit, tamen quovis pacto Pasiteles Varroni aequalis a reliquis auctoribus Graecis seiungendus videtur.

Singularis ratio eorum scriptorum est, qui in indice lib. XXXVI inde ab Alexandro polyhistore, § vero 78 iidem, sed ordine aliquantum immutato laudantur; ita:

in indice	§ 78
Alexandro polyhistore	Herodotus
Apione Plistonico	Euhemerus
Duride	Duris Samius
Herodoto	Aristagoras
Euhemero	Dionysius
Aristagora	Artemidorus
Dionysio	Alexander polyhistor
Artemidoro	Butoridas
Butorida	Antisthenes
Antisthene	Demetrius
Demetrio	Demoteles
Demotele	Apion
(Lycea)	(§ demum 84 Lyceas).

Enumerantur autem § 78 ut qui scripserint de pyramidibus. Quos omnes si attentius perlustrasset, singulorum opiniones referre ex more suo Plinius certe non omisisset. Sed praeter Herodotum, Demotelem, Lyceam, quos § 84 de Aegyptiorum labyrintho laudat, de reliquis tacet. Qua re hic quoque unum, quem exscriberet, auctorem habuisse Plinium existimo. Romanorum vero qui hunc sibi vindicet hono-

rem cum nullum videam, inter Graecos vel loco quem occupat novissimum distinguitur Apion ille Plistonices, quem quamvis „propriae potius famae tympanum", quam „cymbalum mundi" videri dicat Plinius (I, 25), tamen scripta eius diligentius perquirere non destitit, fama fortasse viri permotus quem ipse adolescens viderat (XXX, 18). Hunc igitur auctorem Plinio exstitisse cum suspicarer, obstare initio videbatur, quod in indice prorsus alium, nec ullo modo distinctum locum obtinet. Sed postea eo ipso sententiam meam confirmatam potius quam infirmatam vidi. Nam cum libris Apionis, qui „non incelebres feruntur, omnium ferme, quae mirifica in Aegypto visuntur audiunturque, historia comprehendatur" teste Gellio (V, 14), Apionem etiam de reliquis Aegypti monumentis exscripsisse nomenque iam ante quam § 78 conscriberet in indicem rettulisse Plinius putandus est. Unde firmiter munitur Urlichsii coniectura, qui (Mus. Rhen. nov. ser. X, 21) ea quoque quae de labyrinthis tradit Plinius Apioni deberi suspicatus est.

Nec a libro XXXVII aliena esse, quae de collectionibus scriptorum disputavi, ipsorum Graecorum qui laudantur numerus indicare videtur. Sed de singulis quid statuendum sit, vix licet coniectura assequi. Varronis enim, actorum, Maecenatis in introductione tantum libri (§ 1—20) usus esse videtur; quare restant Romanorum soli Iacchus et Cornelius Bocchus. E quibus quae Plinius ipse profert, pertinent ea quidem ad proprium libri argumentum; sed qua via et ratione id illi pertractaverint, ob aliorum testimoniorum inopiam nunc definire non licet. Graecorum vero, „qui de iis nuperrime scripsit vivitque adhuc" (§ 37), Asarubam si ducem habuisset Plinius, secundum ea quae de indicum dispositione hucusque disputata sunt, vix appareret medio indici insertus. Quare certum de hoc proferre iudicium abstineo. Restant sane alia collectionum apud Plinium vestigia paullo obscuriora.

CAPUT III.

Verum cum hoc loco non id agatur, ut tota de hoc genere quaestio absolvatur, sed potius quanam via solvenda sit significetur, iam huius disputationis finem facio. Quod nolo ita intelligi, ut speciem modestiae affectare puter; immo res ipsa hanc investigandi rationem efflagitare videbatur. Cum enim, cui de fontibus scriptoris

cuiuspiam disputare in animo sit, plerumque, et id quidem rectissime, nihil antiquius habeat quam fragmenta colligere deque singulis accuratissimam quaestionem instituere, contra mihi, cum in observationem aliquam de indicibus Plinii simplicissimam incidissem, praeter cetera id agendum erat, ut eam ipsam recte sese habere ostenderem. Quod quidem fieri non potuit nisi singularum rerum multarum ratione habita, non alio id quidem consilio, nisi ut ipsa observatio illa inde confirmaretur. Ad singula si nihilominus iam nunc aliquis ex hac disputatione fructus redundavit, maiorem tamen redundaturum spero, si quis iis quae nunc constituta sunt, fundamentis usus de singulis quaestiones instituerit. Nam quod omnium primum est et potissimum, ut, quale omnino fuerit Plinii ingenium quaque ratione opus suum composuerit, perspiciatur, id nunc quidem aliquanto certius licebit definire. Quod quam vim habeat in ipsius operis interpretationem, ex iis satis apparet, quae de eius retractatione deque ordine expositionis insertis falso loco verbis non raro turbato aliquoties observavi. Deinde de centum illis Plinii selectis auctoribus quaestio quamquam non ita poterit absolvi, ut de singulis dubitandi locus non reliquatur, de plurimis tamen quid sit statuendum, probabilis ratio non deerit. Hinc vero totum de fide et auctoritate Plinii iudicium pendere unusquisque videt; cum enim, quid singulis debeatur auctoribus, ad eas quoque quas exposui rationes diligentius exploratum erit, fieri non poterit quin illud multo firmiore quam antehac fundamento insistat.

Nec minor quam ad Plinium ad scriptores ab illo laudatos ex hoc investigationum genere utilitas redundabit. Ut enim e. g. quae XXXIII, 42 de expensis, inpendiis, stipendiis traduntur, e Verrio Flacco esse descripta indicis dispositio docet, ita eadem ratione duce etiam plura, quae in verbis Plinianis sine auctoris nomine nunc latent, ad certum scriptorem revocari poterunt. Fragmenta vero ita collecta cum, quae fuerit deperditorum quorundam librorum natura aliquoties haud obscuro indicio sint, non desperandum videtur fore ut maiorem interdum lucem collectionum illarum, quas in usum suum Plinius convertit, ratio allatura sit. Denique haec ipsa ratio recte perspecta etiam historiae litterarum universae studiis non mediocriter profutura videtur. Quod enim et quale omne studiorum genus illud fuerit, quo in litteris et disciplinis tractandis Romani versati sint, quibusque modis e Graecis fere toti in hoc genere pendeant, vel ex paucis illis quae superiore capite indicavi potius quam exsecutus sum, haud obscure cognoscitur.

Quae omnia singillatim pertractare nec huius loci est, nec ad opus, quod vastum doctrinae et eruditionis apparatum sibi postulat, nunc vires sufficiunt. Ne tamen vana praedicare iustoque maiorem exspectationem excitare velle dicar, tamquam epimetrum

de uno Plinianorum auctorum disputatiunculam hic addere placet. Vitruvium dico, solum omnium de architectura scriptorum, cuius libri, non quidem septem, ut Baehrio placet, sed decem integri, aetatem tulerunt. Quem ipsum non defuit qui nobis ereptum iret. Quippe Fridericus Schultzius, vir acris ingenii, eo processit, ut saeculo decimo exeunte, qui Vitruvii nomine feruntur, libros confectos esse contenderet ('Briefwechsel zwischen Göthe und Staatsrath Schultz, herausg. v. Düntzer', p. 364 sqq. cf. Welckeri et Naekii Mus. rhen. IV, 335). Quod etsi satis leviter esse disputatum ipsi codices eo saeculo antiquiores docent, tamen quas de singulis rebus dubitationes protulit, eam videbantur vim habere, ut non ipsius Vitruvii esse, sed saeculo vel II vel III vel IV illius nomini suppositos esse libros 'Vitruvianos' suspicari liceret (cf. Mus. rhen. V, 617). Erat autem ea quaestio suapte natura ita comparata, ut sine rei architectonicae scientia haud mediocri, coniuncta quidem ea cum singulari sermonis latini peritia, absolvi non posse videretur. Vnde in medio relicta dubitatio, nec post Schultzium certa sententia prolata est. Quare in Plinianorum indicum rationem inquirenti mihi, si quid inde utilitatis ad Vitruvium redundare posset, non negligendum videbatur. Neque spes fefellit. Libro enim XXXV cum, quae e Cassio Severo § 164 afferuntur, in operis retractatione esse adiecta intellexissem, post § 163, quo laudatur Mucianus, quaerenda esse, quae e Vitruvio desumpta esse possent, conjecturam feci. Neque Silligium fugit, in iis quae de lateribus § 170 sqq. exponuntur, Plinium auctorem habuisse Vitruvium (II, 3, 1). Quae quamnam vim habeant ad illam de Vitruvio quaestionem solvendam, sua sponte apparebit, ubi utriusque scriptoris verba hic apposuero:

Vitruv. II, 3, 1 (ed. Marini).	Plin. XXXV, 170.
1. Itaque primum de lateribus, qua de terra duci eos oporteat, dicam. Non enim de arenoso neque calculoso neque sabuloso luto sunt ducendi; quod . . . . Faciendi autem sunt ex terra albida cretosa, sive de rubrica, aut etiam masculo sabulone. Haec enim genera	Lateres non sunt in sabuloso neque harenoso multoque minus calculoso ducendi solo sed e cretoso et albicante aut ex rubrica vel etiam e sablo masculo certe;
2. Ducendi autem sunt per vernum tempus et autumnale, ut uno tenore siccescant: qui enim per solstitium parantur, ideo vitiosi fiunt, quod summum corium sol acriter cum praecoquit, efficit ut videatur aridum,	finguntur optume vere; nam solstitio rimosi fiunt.

interius autem sit non siccus, et cum postea siccescendo se contrahit perrumpit ea, quae erant arida, ita rimosi facti efficiuntur imbecilli. Maxime autem utiliores erunt, si ante biennium fuerint ducti; namque non ante possunt penitus siccescere . . . .

3. Fiunt autem laterum genera tria: unum quod graece λύδιον appellatur; id est, quo nostri utuntur, longum sesquipede, latum pede: ceteris duobus Graecorum aedificia struuntur. Ex his unum πεντάδωρον, alterum τετράδωρον dicitur. Δῶρον autem Graeci appellant palmum, quod munerum datio graece δῶρον appellatur: id autem semper geritur per manus palmam. Ita quod est quoquoversus quinque palmorum, pentadoron, quod quattuor, tetradoron dicitur: et quae sunt publica opera pentadoro, quae privata, tetradoro struuntur . . . .

4. Est autem in Hispania ulteriore civitas Maxilua et in ea Calentum et in Asia Pitane, ubi lateres cum sunt ducti et arefacti, proiecti natant in aqua. Natare autem ipsi posse ideo videntur, quod terra est, de qua ducuntur pumicosa: . . . . .

II, 8, 9. De latericiis vero (parietibus) dummodo ad perpendiculum sint stantes, nihil deducitur, sed quanti fuerint olim facti, tanti esse semper aestimantur. Itaque nonnullis civitatibus et publica opera et privatas domos, etiam regias, e latere structas licet videre: et primum Athenis murum, qui spectat ad Hymettum montem

Aedificiis non nisi bimos probant; quin et intritam ipsam eorum priusquam fingantur macerari oportet.

Genera eorum, quae tria, Lydion quo utimur, longum sesquipedem, latum pedem; alterum tetradoron, tertium doron; Graeci enim antiqui doron palmum vocabant et ideo dora munera, quia manu darentur; ergo a quattuor et quinque palmis, prout sunt, nominantur. Eadem est et latitudo. Minore privatis operibus, maiore in publicis utuntur in Graecia.

Pitanae in Asia et in ulteriore Hispania, civitatibus Maxilua et Calento, fiunt lateres, qui siccati non merguntur in aqua; sunt enim e terra pumicosa, cum subigi potest utilissima.

172. Graeci, praeterquam ubi e silice fieri poterat structura, latericios parietes praetulere; sunt enim aeterni, si ad perpendiculum fiant; ideo et publica opera et regias domos sic struxere, murum Athenis, qui ad montem Hymettum spectat; Patris aedis Iovis et Herculis, quamvis lapideas columnas et epistylia circumda-

et Pentelicum: item Patris in aede Iovis et Herculis lateritias cellas, cum circa lapidea in aede epystilia sint et columnae: in Italia Aretii vetustum egregie factum murum: Trallibus domum regibus Attalicis factam, quae ad habitandum semper datur ei, qui civitatis gerit sacerdotium: item Lacedaemone e quibusdam parietibus etiam picturae excisae, intersectis lateribus, inclusae sunt in ligneis formis, et in comitium ad ornatum aedilitatis Varronis et Muraenae fuerunt allatae. 10. Croesi domus, quam Sardiani civibus ad requiescendum aetatis otio seniorum collegio Gerusiam dedicaverunt, item Halicarnassi potentissimi regis Mausoli domus cum Proconnesio marmore omnia haberet ornata, parietes habet latere structos . . . . 16. Sed id genus quid ita a populo romano in urbe fieri non oporteat, exponam, quaeque sint eius rei causae et rationes non praetermittam. 17. Leges publicae non patiuntur maiores crassitudines quam sesquipedales constitui loco communi; ceteri autem parietes, ne spatia angustiora fierent, eadem crassitudine collocantur. Lateritii vero, nisi diplinthii aut triplinthii fuerint, sesquipedali crassitudine non possunt plus quam unam sustinere contignationem.

rent; domum Trallibus regiam Attali; item Sardibus Croesi, quam gerusian fecere; Halicarnassi Mausoli, quae etiam nunc durant. Lacedaemone quidem latericiis parietibus excisum opus tectorium propter excellentiam picturae ligneis formis inclusum Romam deportavere in aedilitate ad comitium exornandum Murena et Varro; cum opus per se mirum esset, tralatum tamen magis mirabantur. In Italia quoque latericius murus Areti et Mevaniae est;

Romae non fiunt talia aedificia, quia sesquipedalis paries non plus quam unam contignationem tolerat cautumque est ne communis crassior fiat, nec intergivorum ratio patitur.

His confer quae a Plinio libro XXXVI inde a § 166 e Vitruvio desumpta esse iam Silligius significavit. Atque haec quidem totam de Vitruvii librorum antiquitate litem uno simplicissimo eoque invicto argumento dirimunt: non enim posteriorem aliquem scriptorem, quae apud Plinium sunt, amplificasse et exornasse, sed Plinium ex ipsis iis, qui nunc exstant, Vitruvii libris sua transcripsisse non est quod uberius de-

monstretur. Vnde consequens est ut certe Plinio illi antiquiores sint; neque enim, si inter Vitruvii Pliniique aetatem confecti essent, Plinium id fugisse credendum est.

Neque hoc argumentandi genus ad Vitruvium solum pertinet. Quae enim e. g. de Apicio a Plinio traduntur (VIII, 209; IX, 66; X, 133; XIX, 137 et 143), cum eis libris qui Apicii nomen nunc gerunt, nullo modo conveniunt. Quare e Plinio, ut Vitruvii libros genuinos, ita suppositicios esse Apicianos demonstrare licet.

Haec igitur, inchoata potius quam absoluta, de fontibus Plinii nunc proponenda videbantur. Quorum rationem universam quamquam ita aliis probari cupio, ut satis firma, quibus novae meditationes superstruantur, fundamenta agnoscantur, tamen quod ad singula attinet, corrigi emendarique quam laudari malo.